9. 5. 2.77
Digitized by Google

Banci [illegible] grecae


A

Digitized by Google

9. S. 499

B-1

Digitized by Google


IOANNI.EMO.
D.MARCI.PROC.
PIO.FORTI.PRVDENTI
OB.RES.
DOMI.FORISQVE.
FELICITER.GESTAS
DE.REP.OPTIME.MERITO
OPELLAM.
HIERON.FRANC.ZANETTI
AL.F.
TVENDAM.COMMENDAT.

NVMISMATA GRAECA

NON ANTE VULGATA

QVAE ANTONIVS BENEDICTVS

E SVO MAXIME ET EX AMICORVM

MVSEIS SELEGIT

SVBIECTISQVE GASPARIS ODERICI

ANIMADVERSIONIBVS

SVIS ETIAM NOTIS ILLVSTRAVIT

ROMAE AN· MDCCLXXVII·

EX OFFICINA ZEMPELIANA

PERMISSV PRAESIDVM

Digitized by Google

ANTONIVS BENEDICTVS
MICHAËLI CATALANI
S.

SAepius me graviſſimis verbis hortari conſueviſti, ut ea ex Cimelio noſtro numiſmata, quae nondum ab aliis vulgata ſunt, publici juris facerem, opportuniſque adnotationibus illuſtrarem. Rem poſcis ſane difficillimam; praeſertim quum mihi in patriam reverſo librorum inopia, aetas ingraveſcens, honeſti cujuſdam otii deſiderium majora in dies afferant impedimenta. Sed ne ab homine tum communis patriae, tum etiam veteris amicitiae, ſtudiorum ſimilitudinis, & quotidiani uſus vinculo mihi conjunctiſſimo nequaquam poſſe exorari videar, aliqua ſaltem ex parte licet invitus tibi morem geram. Nam quum aliquot ab hinc annis Romae degerem, & Gaſpar Odericius, qui miram quamdam ingenii vim cum incredibili rerum antiquarum intelligentia conjungit, meos aliquot numos Graece inſcriptos populorum & urbium, nimirum Cintandriorum, Haephaeſtiorum, Julienſium Laodicenſium, Lydiorum, populi cujus nomen

ex certa lectione non ſatis liquet, Myſomacedonum, Stratenſium, Talariorum, Moſtenorum, Karrhenorum ſelegiſſet, illoſque cumulatiſſime eſſet interpretatus, ego nonnulla de meo penu Odericianis *interpretationibus adjunxi, & aliis quinque numis nondum item vulgatis, altero nempe tum Antandriorum, tum Julienſium Laodicenſium, praeterea Hyrcanorum, Canuſinorum, Adaneorum, ſuis enarrationibus adnexis, opellam ditandam curavi. Ac propediem quidem quinque & decem iſta numiſmata e domeſticis tenebris exire, & in publicum conſpectum prodire debebant. Sed a Viri doctiſſimi, & de me, meiſque numis optime meriti conſuetudine diſtractus, omne de illis in lucem edendis conſilium depoſueram: quod quidem nequaquam iterum ſumſiſſem, niſi tu & precibus & obſecrationibus eo rem adduxiſſes, ut tuae voluntati ſine maxima temeritatis nota obſiſtendi omnem mihi facultatem ereptam eſſe intelligerem. Huc acceſſit, quod quum apud te diatribam quamdam de* Picenorum Origine *deliteſcentem comperiſſem, in qua novum opus, & a nemine antea pertractatum aggreſſus, ſummo ſtudio, ac diligentia ita noſtrae gentis ortum il-*

illuſtraſti, ut ea per te novum decus adepta eſſe videatur, ego non ſolum eam in lucem edi poſſe probavi, ſed ut re ipſa ederes auctor tibi magnopere fui, quum praeſertim clariſſimi etiam Viri eadem mecum ſentientis teſtimonium haberes, cui neſcio an noſtra haec aetas antiquitatis cognitione parem habeat, ſuperiorem certe neminem. Invitus primum, & diu animi pendens te mihi tandem obſequuturum eſſe promiſiſti, ſi ego item meas, & Odericii, de quibus dixi, elucubrationes typis mandare paſſus eſſem, & quo id facilius conſequerere, omnem operis edendi procurationem te libenter ſuſcepturum profitebaris, ut nullam moleſtiae ac laboris partem mihi relinqueres. Nunc vero nihil jam eſt, quod me amplius roges, Amice optime: ut fidem tu liberaſti, ſic ego do manus victas: Habe tibi quidquid hoc opellae eſt: Sit mei erga te amoris ac benevolentiae ſignum. Porro ſi minus meae, Odericii certe animadverſiones probabuntur, ac tu quidem difficultatem illam meam, vel etiam ſegnitiem jam minus, opinor, reprehendes: procraſtinatio enim mea hoc attulit boni, ut ab Odericio quoſdam praeterea commentarios elicerem, doctos omni-

no

no & laborioſos, quos ille in Omali numum meum, & in alios ab amicis ſuppeditatos, me olim ſuaſore perſcripſerat: quibus utique propter feſtinationem tuam libellus hic noſter modo careret, ſi tum faciliorem me tibi praebuiſſem. Utinam & reliquos ille, qui vel uni mihi complures ſunt, Graecos numos illuſtrare aggreſſus eſſet! cum eo interprete & laudatore multum famae ac nominis Muſeo noſtro acceſſiſſet; tum haberes tu quoque ad eam Σπαρτην, *quam nunc ornas, monumenta ex Graecia Aſiaque permulta: amicus vero ille noſter, qui nuper Vindobonae numos hujus generis plures emiſit, privati hominis opes miratus, conjectura jam facile aſſequeretur, ſymbolas Romae paratas ſibi fuiſſe quam plurimas; at ſolum ſe aut cum paucis eſſe voluiſſe. Ceterum his tu nunc utere, quae praeſto ſunt, remque publicam juvato: & quoniam ea es aetate, quae ſit labori ferendo par, eo idem ingenio & eruditione, ut cum praeſtantiſſimis certare poſſis; urge opus quaeſo, quod inſtituiſti: unius laborem multorum utilitas compenſabit. Vale.*

Firmi Cal. April. An. MDCCLXXVII.

AV-

AVCTORITATES CENSORVM

LVcubrationes Gaſparis AloysI OdericI, & AntonI Benedicti CC. VV. quibus numi quidam nondum vulgati illuſtrantur, juſſus a Rmo P. Ricchinio Sac. Pal. Ap. Magiſtro legi diligenter, probavique: multa enim, qua docti Auctores pollènt, & quam maxime res numaria veterum deſiderat, Eruditione conſcriptae ſunt, nec quidquam habent: quod ſive ſanctiſſimis Religionis noſtrae inſtitutis, ſive bonis moribus ullo unquam tempore obeſſe poſſit. Dat. ex Tabul. Vatic. Id. Iun. 1777.

Caietanus Marinius Tabularr. Secrett.
Vatic. & Arcis S. Angeli Praef.

VOluntati ut obſequerer P. Reverendiſs. Auguſtini Ricchinii Mag. Sacr. Pal. Apoſt. ſcitiſſimas Gaſparis Odericii & Antonii Benedicti animadverſiones notaſque ad *Graeca numiſmata non ante vulgata* perlegi omnes: nec vero offendi quidquam, unde aut doctrinae Catholicae labes aut periculum rectis moribus metuendum, quin multa ineſſe comperi, digna plane eorum nomine, quae & inventorum cenſum augeant, & interiores litteras ſcrutantibus muniant viam: ut emiſſa in lucem pluribus profutura videantur. D. Romae Idib. Iun. An. MDCCLXXVII.

Antonius Morcellus Praef. Bibliot. Alban.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Epiſcopus Montis Alti, ac Viceſgerens.


IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordin. Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

GASPARIS ODERICI
AD NUMISMATA SELECTA
EX MUSEO ANTONII BENEDICTI
ANIMADVERSIONES.

I



I. Caput turritum.

)(ΑΝΤΑΝΔΡΙΩ ... infra ΑΤΤΑΛ ... *Antandriorum. Attalos*. Faunus cum nebride ad ſin. hum. duabus tibiis canens: infra Maeandri ſymbolum.

ANtandrus Troadis urbs in ſinu Adramyteno ,, *Intus* (inquit Strabo xiII. 606.) *eſt Antandrus cum monte ſuperne imminente, cui Alexandrea nomen, ubi controverſiam Dearum a Paride ajunt eſſe diſceptatam: tum Aſpaneus caedua Silvae Idaeae pars... Sequitur Aſtyra pagus, &* la-


lacus Aſtyrenae Dianae ſacer. ,, Antandrum *Pelaſgicam* dixit Herodotus vII. 42. *Lelegeiam* Alcaeus apud Strabonem l. c. quod ita compono , ut ab aliis fundata , ab aliis occupata deinceps fuerit . Quum vero Leleges ab Ionibus in Aſiam e Graècia profectis poſt Ilium everſum expulſos narret Strabo xIII. 632. hinc facile ſuſpicor , Pelaſgos hujus urbis conditores fuiſſe , quos deinde Leleges , qui diu loca illa tenuerunt , Antandro ejecerint . *Liberae* urbis numos an quiſpiam produxerit , ignoro : Auguſtorum vultu & nomine ſignatos Harduinus , Vaillantius , aliique vulgarunt. Faunum duabus ſimul tibiis canentem ad Bacchi orgia , & pompas refero , in quibus tibias a Faunis hujuſce numinis miniſtris uſurpatas , nemo neſcit . Turritum caput Urbis genium deſignat ; neque tamen repugno , quin Rheam deſignare idem poſſit , a qua Bacchum altum educatumque refert Nonnus Dionyſiac. IX. 159. expiatum , & Cybeleias caeremonias edoctum Apollodorus Bib. III. Multa ſane Rheae cum Baccho communia Pindari atque Euripidis auctoritate docet Strabo. Nihil mirum igitur ſi urbis Phrygiae conterminae , & cujus pars habita olim Troas eſt , numiſ-

miſmata Bacchum ſimul & Rheam praeſeferant. Bacchus Junone inſtante ad aram Rheae confugiens videbatur in celebri illa Ptolemaei Philadelphi pompa, quam plurimis deſcribit Athenaeus IV. 201.

Huic noſtro ſimiles numos duos apud Haymium (Tom. II. Muſ. Brit.) invenio, quorum alter *Aſiae* in Lydia, alter *Apameae* in Phrygia percuſſus eſt: in primo ΑΣΙΕΩΝ ΑΓΑΝΙΚΟΣ: in ſecundo ΑΠΑΜΕ... ΚΗΦΙΣΤ. legitur. Utrumque ad muſicos agones refert Haymius: non improbo; modo eos eſſe velit, qui Dionyſiacis in pompis ac feſtis agebantur. Nam Fauni, quos in Bacchi comitatu fuiſſe & pueri ſciunt, numos ad Bacchum, ejuſque orgia pertinere aperte oſtendunt. Bacchus porro a Lydis etiam cultus fuit, de quibus triumphaſſe auctor eſt Lucianus in dial. Jov. & Jun. Tom. I. n. 18. ΑΤΤΑ... interpretor ΑΤΤΑλος, & magiſtratus Antandriorum nomen eſſe exiſtimo: non enim Haymio aſſentior, qui nomina haec ad ludorum praefectos referre videtur. Quid vero Maeander in extrema numi ora ſculptus ſibi velit, non aſſequor: neque enim ad Maeandrum ſita fuit Antandrus, uti Apamea, Magneſia, aliaeque urbes, qua-

rum in numis Maeandri figura , ſive potius ſymbolum viſitur . An illud fortaſſe innuit , Antandrios , quum Bacchi , & Berecynthiae Orgia in Phrygia , atque Apameae imprimis celebrarentur , miſiſſe qui in iiſdem tibia canerent ? Bacchum peculiari cultu Phryges venerabantur , qui e Thracia orti cultum iſtiuſmodi in Aſiam detulerunt , ut pluribus docet Strabo .

Ca-



II. Caput Vulcani.

)(ηφαι CTIEΩN *Hephæſliorum*. Fax erecta inter duas ſtellas.

HΦαιστια. Quatuor hujus nominis loca apud veteres invenio. ΗΦαιστια dicitur *Acamantidis* tribus, populus apud Stephanum. ΗΦαιστια Lemni urbs Ptolemaeo, Dionyſio Periegetae, Stephano, aliiſque geographis. *Hephaeſtium*, quam inter Lyciae urbes recenſent Plinius, Solinus; ejuſdemque meminit Seneca ep. 79. Tandem ΗΦαιστια parva inſula Meliten inter & Gaulum, cujus extat mentio in itinerario Antonini a Weſſelingio edito. Ex his porro primus locus huc ſane non ſpectat: gentile enim, ut docet Stepha-

 nus,

nus, non Ηφαιστιευς, ſed Ηφαιςιαδης eſt: quin, ſi Pinedo credimus, oppidum ipſum non Ηφαιστια, ſed Ηφαιστιαδας dicendum. Ultimus etiam praetermittendus videtur; vix namque arbitror nullius nominis inſulam proprios ſibi numos cudiſſe. Utri vero ex duabus, quae ſuperſunt urbes Lemniaene, an Lyciae numum hunc noſtrum tribuam, incertus ſum: Utrobique Vulcanus cultus. Nota fabula, Vulcanum praecipitem e caelo actum in Lemnum cecidiſſe, ubi aerariam deinceps exercuit. Hinc *Vulcania* dicitur Lemnus a Valerio Flacco; & *κραναον πεδον Ηφαιστοιο* a Dionyſio v. 522. At Lycios etiam Vulcanum coluiſſe, quum ipſum urbis nomen oſtendit, tum Vulcani templum ſupra Sidenonſis promontorium, cujus meminit Scylax.„ *Supra id Fanum Vulcani* (*ιερον Ηφαιςτου*) *in monte*, *multuſque ignis terra editus ardet ſponte ſua*, *nec unquam extinguitur*.„ Quamquam unum idemque *ιερον* Ηφαιστου Scylacis, & Plinii *Hephaeſtium* cenſuit Salmaſius ad Solin. p. 785. de quo nolo hic diſputare. Qua Lyciae parte ſita haec urbs foret, pluribus diſputat idem Salmaſius; incertum enim an prope Phaſelidem Pamphyliam verſus cum

Scy-

Scylace collocanda ſit , an prope Chimaeram montem non longe a Caria , quod ſuadere videtur Plinius H. N. lib.v. cap.27.


Numos duos Hφαι inſcriptos vulgavit Pellerinius , quorum unus Apollinis caput praeſefert , & facem averſa in parte inter Dioſcurorum pileos erectam : alter hinc juvenile caput diademate cinctum ; illinc arietem , ante quem fax accenſa . Utrumque Lemniorum urbi tribuit Vir doctus ; at melius fortaſſe Lyciis tribuiſſet , apud quos Apollinis , quem in Lycia genitum ait Homerus Iliad. iv. v. 101. Apollinis inquam cultus inſignis fuit . Iiſdem Lyciis numus hic noſter tribui poteſt ; placuit enim Lyciis gentilia urbium nomina in ΕΥΣ finire , ut non uno in loco ait Stephanus .

Erectam , ſtantemque in numo facem ad λαμπαδαδρομια refero , quae in honorem Vulcani agebantur , quo in certamine is victor diſcedebat , qui curſum face inextincta confeciſſet . Duo aſtra Dioſcuros , ni fallor , deſignant , qui ab Horatio *lucida ſidera* , a Callimacho λακεδαιμονιοι αστερες dicti ſunt . Dioſcuros ab Hephaeſtiis ſive Lemniis ſive Lyciis cultos fuiſſe , teſtes ſunt numi , quos nuper citabam.

bam . Quod ſi quis facem ad Διοσκουρια referre malit , per me licebit ; novi enim faces in Deorum cultu ſaepe accenſas .

Hephaeſtios cognomine *Julienſes* apud Arrigonium (Num. Grae. Tab. II. 25.) obſervavi : ubi Neronis numus , cujus averſa in parte imperator eques viſitur cum hac epigraphe ΣΕΡΓΙΟΣ ΗΦΑΙΣΤΙΩΝ ΙΟΥΛΙΕΩΝ : quinam porro ſint *Hephaeſtii* iſti *Julienſes* Lyciine , an Lemnii , aliis divinandum relinquo . Si vera ſunt , quae de Lyciorum nominum terminatione nuper ex Stephano dicebam , Lemniis hunc Neronis numum tribuerem : ſed incerta in re *ἀπέχω* .

Cá-




III. Caput Bacchantis cum thyrſo.

)(ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΔΜΡ. *Julienſium Laodicenſium. An.* 144. In medio Pharus.

Annus CXLIV. Laodicenorum exiit anno V. C. 850. Nerva Romae imperante. Laodicenum agrum vini feraciſſimum, unde maximam vini partem Alexandrinis praeberet, praedicat Strabo XIV. 751. Nil igitur mirum, Bacchum a Laodicenis cultum, cujus rei teſtis Caput Bacchantis in numo expreſſum. Averſae partis typum Laodicenae urbis Pharum exhibere puto, quae non quadrata turris, ut Alexandrina, Siphnia, & Toronica, ſed rotunda, & columnae ſimilis fuiſſe videtur.

tur. Columna haec porro, ſeu turris duplicis faſcia aequali inter ſe ſpatio diſtanti cingitur, eique laterna ſuperpoſita eſt, in qua lumina noctu navigantibus praelucentia collocata erant: hanc neſcio quid ſupereminet ſtylo ſeu virgae ſimile. Laodicenum portum commendat Strabo l. c. & Appianus Civ. l. IV. 624. ,, *Dolabella*, inquit hic, *Laodiceam urbem ſibi amicam pervenit, ſitam in peninſula munita; ad mare vero habentem portum ad commeatus abunde convehendos idoneum: nec minus ad ſecurum abitum, quandocumque liberet navigare* ,,.

Jup-



IV.

ΖΕΥΣ ΛΥΔΙΟΣ. *Juppiter Lydius*. Caput Jovis.

)(ΘΕΑ ΡΩΜΗ. *Dea Roma*. Roma loricae inſidens dextra victoriolam tenet.

JOvem plures Lydiae urbes venerabantur non uno cognomine, nec iiſdem omnino ſymbolis. Vulgatis ac notis acceſſerat ſuperioribus annis ΖΕΥΣ ΚΟΡΥΦΑΙΟΣ *Juppiter Coriphaeus* ex Philadelphiorum numo apud Pellerinium: accedet nunc ex hoc Ζευς Λυδιος *Juppiter Lydius*, quo divum patrem atque hominum regem non aliquarum urbium dumtaxat, ſed totius Lydorum gentis tutelare numen fuiſſe diſcimus. Quur porro Philadelphii, ut

hoc


hoc obiter perſtringam, Jovem ſuum Κορυφᾶον dixerint, ignorare me fateor. Pauſaniam ſane non probo qui Κορυφᾶον *Capitolinum* interpretari videtur. ,, *Corinthi*, inquit lib. II. cap. 4. *ſupra theatrum Jovis templum eſt, qui romana lingua Capitolinus vocatur, graeca vero* Κορυφᾶος *dici poſſet*. ,, Sunt qui putent (vide Girald. de Diis Synt.) vocis etymon ab Lycii montis jugo in Arcadia deductum, quo in jugo Jovem educatum Arcades fabulantur, & ἱερα κορυφη dicebatur: paullo hoc veriſimilius. Sic Diana ex ejuſdem templo in ſummo Cynorthii montis vertice, poſito Κορυφᾶια apud Epidaurios nuncupata eſt, ut idem narrat Pauſanias l. II. c. 28. Ζευς Καπιτολευς legitur in Antiochenorum numo apud Froelichium (IV. Tentam. pag. 187.) & apud Gruterum pag. MIX. 5. Ζευς Καπετολιος, ex quo Capitolinum Jovem Κορυφαιον nequaquam apud graecos nuncupatum firmatur.

ΘΕΑ ΡΩΜΗ. Romam turpis graecorum Aſianorum aſſentatio *Deam* fecit anno V.C. 559. ſi vera de ſe praedicant Smyrnaei apud Tacitum Ann. IV. 56. Ajunt nimirum ,, *ſe primos templum urbis Romae ſtatuiſſe M. Portio Conſule, magnis quidem jam ro-*

romani populi rebus, *nondum tamen ad ſummum elatis*, *ſtante adhuc punica Urbe*, *& validis per Aſiam regibus*. „ Smyrnaeos excepiſſe videntur Alabandenſes in Caria. Siquidem anno V. C. 584. eorum legati *Urbis Romae Templum* ſe feciſſe commemorabant, *ludoſque anniverſarios ei Divae inſtituiſſe*: (Vide Liv. lib. 43.) tum aliae graecorum urbes, quas longum eſt, & ſupervacaneum enumerare. Serius ſuperſtitio haec romanos occupavit. Nam qui primus templum Romae in urbe aedificavit, Hadrianus fuiſſe perhibetur. Sardibus totius Lydiae Metropoli numus hic percuſſus fortaſſe eſt. Frequens ſane Sardianorum in numis Juppiter, quem Olympium eſſe arbitror, cui templum in ea urbis parte, ubi Lydorum regia olim fuerat, ab Alexandro aedificatum memorat Arrianus lib. 1. exp. Alex. c. 17. At Sardianos numos, qui Θεαν Ρωμην proferant, nullum hactenus vidiſſe memini, quamvis Harduinus extare affirmet. Duae ſunt in Lydia urbes, quarum in aere Θεαν Ρωμην viderim, Τημενοθοραι ſcilicet, & Ερμοκαπηλιας. Numus hic noſter argentea lamella obductus fuerat, cujus adhuc veſtigia averſa in parte conſpiciuntur.

Ca-

V



V. Caput laureatum.

)(Gubernaculum in medio numo erectum, hinc APTE, inde MEN, infra Jaculum.

PRiorem epigraphen lego APTEμιδι *Artemidi*. Agamemnonem ad Trojam proficiſcentem, quum

> . . . . „ *Aequora ſaevi*
> *Invia feciſſent venti, Boeotaque tellus*
> *Aulide piſcoſa puppes tenuiſſet ituras.* „ Met. xII. 1.

Agamemnonem, inquam, ut Dianam, cujus ira illic detinebatur, placaret, navis gubernaculum in ejus Deae templo dedicaſſe, memorat Callimachus Hymn. in Dian. v. 228.

> . . . . „ *Tibi etiam Agamemnon*
> *Clavum navis dedicavit in Templo,*

Mu-

Digitized by Google


Munus contra navigandi incommoditatem, quando ipſi detinebas ventos,
Teucrorum quum naves Achivae oppida vexatum
Navigarent propter Helenam Rhamnuſiam animis concitatae. „

Quod a Mycenarum rege factum olim fuit, id ab iis etiam, quorum numum proferimus, factum eſt, ni fallor: at neque qui ſint, nec qua de cauſa, quoque iſtud tempore factum, ſatis ſcio. Maritimam eſſe urbem, aut fluvio ſaltem navigabili impoſitam facile credo; imprudentis tamen eſſet certam hic aliquam a me deſignari, plures quum ſint, quorum nomen ab hac ſyllaba MEN exordiatur. Si qua tamen divinandi venia daretur, *Mendaeis*, aut *Menelaitis* tribui fortaſſe poſſet. *Menda* maritima Thraciae urbs, quae Macedoniae attributa deinde eſt, Erethriorum colonia fuit, ut refert Thucydides IV. 123. Erethrii porro in Euboea non longe ab Aulide poſiti Dianae templum, & Agamemnonis donum ignorare nequaquam potuerunt. *Menelai* vero *portum*, graecam in Cyrenaica urbem memorat Strabo XVII. 838. *Eadem fortaſſe urbs*, inquit Pinedus in Steph. *ac quae* Μενελαΐος λιμην He-

Herodoto dicitur IV. 169. Utut ſit, nihil ſtatuo. Illud unum addam: gubernaculum non temere Dianae dicari potuiſse, utpote quae portubus praeeſset. Hinc λιμενεσσιν επισκοπος, & λιμενοσκοπος nominatur a Callimacho l. c. vv. 39. 259. qua ſuper re plura illic notavit Spanhemius, quae non ego hic recantabo. Gubernaculum *ſolitarium*, ut ita dicam, in Cartejorum numis invenio apud Haymium (Tom. I. Muſ. Brit.) Melitenſium apud Parutam Havercampii (Tab. CXLIX. n. 2.). Addo etiam vulgatum proverbium ἀγνοτερος πηδαλιου, quod Dianae caſtae virgini, ut mythologi, & poëtae praedicant, aptari jure poteſt.

My-

VI



VI.

MYCOMAKεδονων. *Myſomacedonum*. Diana Epheſina cum verubus.

)(.... CETA .... Miles d. haſtam, s. clypeum.


MInorem Aſiam poſt Alexandri Magni mortem Macedonum coloniis refertam fuiſſe vulgata res eſt. Harum aliquot, ſi Noriſio, & Spanhemio credimus, ne majorum ſuorum memoria, nomenque periret, *Macedonum* cognomentum ſibi adſciverant: hujuſmodi *Aſchilacae*, *Blaundeni*, *Caducni*, *Docimeni*, *Hyrcani*, *Pelteni*, *&* *Poemaneni*, quos omnes Macedones cognominatos partim ex numis diſcimus, partim ex veterum ſcriptis accepimus. Hos inter *Myſomacedones* referri

video: at eorum, ni fallor, alia longe ratio. Non enim hi Myſi ſunt a Macedonibus orti, ſed Myſi Macedonibus permixti, quod nominis veriloquium recte vidit Harduinus, quamvis in alia omnia abierit. „ *Hi porro Myſomacedones*, inquit in not. ad Plin. *aliique, quos Plinius pariter Macedones appellat ſect.* 31. 32. *Macedones ii ſunt, qui commemorantur in epiſtola Artaxerſis capite ultimo libri Heſteris, non alios ſcilicet, quam eos, ad quos Perſarum regnum transferre Haman cogitaverat*. Cenſet enim vir doctus Iones, ceteroſque Croeſi imperio ſubjectos, Macedones eo tempore magna ex parte appellatos fuiſſe: „ *ita ut*, inquit (Chron. V. T. p. 559.) *ora Aſiae minoris fere univerſa, quae aegaeo alluitur mari cum tractu mediterraneo, qui ad Croeſi regnum pertinuit, Macedonia fere eſſet, ac diceretur: niſi forte poteſt aliquis certo documento ſuadere .... recentius in Aſia Pliniana, quam in Europa Macedonum nomen eſſe, aut fieri potuiſſe, ut ſi Macedones europaei ſuum nomen poſt Alexandri tempora in Aſiam tranſvexerint, cum his dumtaxat regionibus communicarint, quae in Lydia, Ionia, & Aeolide eſſent, hoc eſt*

eſt in antiqua Croeſi ditione , extra quam quum Macedones non occurrant , quis cordatus non fateatur , ex ea parte potius , in qua natum nomen illud ſit , in Europam , quam ex Europa in Aſiam commigraſſe ,, : Haec ille acute profecto , ac ingenioſe ; verene non hic diſputo . Illud mirari ſane ſubeſt , quur in Phrygia ſolum , Lydia , Myſia , & Ionia reperiantur , qui *Macedonicam* originem praeſeferre voluerint , quum Aſiam totam Macedones coloniis ſuis oppleverint : id non ſine cauſa factum : at quaenam haec fuerit , ex aliis diſcam .

Myſomacedones in Phrygia collocat Ptolemaeus , in Ionia vero Plinius : jamdiu obſervatum eſt , utriuſque provinciae confinia non ſatis certa , ac fixa fuiſſe . Horum populorum numos an alius quiſpiam protulerit , ignoro . Hic , quem primum vidi , Dianam Epheſinam longe lateque celebrem a Myſomaçedonibus cultam fuiſſe teſtis eſt . Quid miles in altera numi parte ſibi velit , neſcio : epigraphe , cujus quatuor tantum elementa extant , magiſtratus , vel alterius urbis populive nomen exhibeat , opinor .

Ca-




vII· Caput barbatum & laureatum.

)(ΣΤΡΑΤΙΟΝ. *Stratenſium*. Avis alis modice expanſis.

S*Tratus*, & *Stratios* inter Acarnaniae urbes referuntur a Stephano: unam eamdemque urbem cenſet Pinedus. Strati meminere Thucydides lib. II. & III. Xenophon Hell. IV. Polybius lib. IV. ubi pro στρατηγικην legendum στρατικην, item lib. V. Strabo lib. X. Diod. lib. XII. & XIX. Livius lib. XLIV. Cicero *in Piſonem*, ubi pro *Arſinoë Thracum* legendum *Arſinoë Stratum*, Plinius, Stephanus &c. Sita erat ad dextram Acheloi ripam, eamque commune Acarnanum Prytaneum fuiſſe ex Xenophonte colligit Palmerius lib. III. Graec. Antiq. c. 5. ubi pluribus de hac urbe diſſerit. Aeto-

toliae illam tribuit Livius lib. 43. c. 21. atque Athenaeus lib. III. uti animadvertit Holſtenius in notis ad Stephanum, quod nimirum ab Aetolis occupata aliquando, & praeſertim Philippi II. Macedonum regis tempore. Caput in adverſa numi parte ſculptum Jovis Dodonaei eſſe puto, qui non procul ab Acarnanum finibus celebratur. Avis in averſa vel Aquila eſt Jovis ales, vel Anſer, ſi oculorum judicio fidendum ſit. Anſeres, qui in templis ſervari conſueverant, ut ait Artemidorus Onir. lib. IV. c. 85. Iſidi ſacros fuiſſe docet Ariſtides Serm. ſacr. III. p. 585. Vid. Ovid. Faſt. I. Sacri etiam Junoni, Priapo, &, ſi Cupero credimus, Oſiridi.



VIII.

ΤΑΛΑ ... Caput Cereris velatum, & corona cinctum.


)(Equus liber & ſubſultans. Spica in area.

CEreris caput, & averſae partis *typus* frequens in Syracuſanorum numis, ipſaque numi fabrica non aegre mihi perſuadent numum ad Siculos ſpectare. Lego igitur ΤΑΛΑ*ρινων* *Talarinorum*. *Talaria* Siciliae urbs, cujus meminit Stephanus. *Ταλαρια πολις Συρακουσιων ...... τὸ εθνικον Ταλαρινων*. Quo loco ſita incertum: oppidanos *Talarenſes* appellat Plinius H. N. III. c. 8., eoſque Romanorum *Stipendiarios* fuiſſe ait. Apud Diodorum in Eclog. p. 875. *ιλαρον* mendoſe pro *ταλαρον* ſcriptum exiſtimat Harduinus. Caete-

terum non ſum neſcius alias eſſe urbes, quarum nomen ex iiſdem litteris exorditur: ταλαυραν apud Dionem invenio, quam in Cappadocia idem collocat, in Cilicia vero Appianus, ex quo in confinio utriuſque provinciae poſitam conjicio: Ταλανιων Achaeorum Polybii auctoritate meminit Ortelius; Ταλαρες memorat Strabo lib. IX. p. 434. „ *In ipſa Pindo habitant Talares Molottica gens, avulſa portio eorum, qui circa Iſmarum* (lege *Tmarum*) *degunt*. „ Ταλαβροκαν tandem inter Hyrcaniae urbes enumerat Strabo lib. XI. 508.; nec aliae deſunt, quae huc non pertinent. At quominus e ſententia diſcedam, numiſmatis *Typi*, ut dixi, in cauſa ſunt.

 Im-

IX



IX*

ΑΥΤ. Κ. Λ. ΑΥΡ. ΒΗΡ. *Imperator Caeſar. L. Aurelius Verus*.

Caput L. Veri laureatum.

)(ΜΟCΤΗΝΩΝ. ΛΥΔΩΝ. *Moſtenorum Lydorum*.
Amazon eques cum bipenni ſin. humero impoſita, ex adverſo cupreſſus, atque ante eam ara ignita.

UNus, quod meminerim, extat Moſtenorum numus L. Veri Imperatoris nomen praeſeferens, quem Vaillantius vulgavit p. 64., ab eo tamen, quem hic exhibeo, longe diverſus. De *Moſtene* Lydiae urbe, quae utcumque ſcitu digna a Theodoro Gronovio, Harduino, Cellario,

rio, aliiſque dicta jam ſunt. Nollem tamen ſcripſiſſet Ortelius, Moſtenem Sextā in Synodo Cappadociae tributam. „ *Eadem Moſtena, ſeu Juſtianopolis Cappadociae Secundae vocatur in ſexta Synodo Conſtantinopoli habita*. „ Turpis error, quem non erraſſet, ſi graeca potius, quem latinum interpretem ſequi maluiſſet. Illā enim non uno tantum in loco, ſed novies ni fallor Theopemptum Ιυστινιανοπολεως ητοι Μωκισσου Epiſcopum appellat: latinus vero interpres non ſemel oſcitans pro Μωκισσου vertit *Moſtene*, & Lydorum urbem in Cappadociam tranſtulit. Eumdem in lapidem offendiſſe la Martiniere, & Ortelii peccatum exſcribendo ſuum feciſſe non magnopere miror; ſaepius quippe vaegrandi in opere ſomnus homini obrepſit: at id Holſtenium gnarum hominem, & emunctae naris ſcriptorem, dum Ortelii opus emendat & corrigit, non vidiſſe, hoc per mihi mirum viſum eſt. Amazones e Thermodonte profectas Phrygiam, Aeolidem, Ioniam, Lydiam &c. occupaſſe, urbeſque plures in iis regionibus ab iiſdem qua conditas, qua cognominatas, notiſſima eſt vel hiſtoria vel fabula. Hujuſmodi ſunt Strabone auctore Epheſus, Smyrna, Cuma, My-

Myrina, Paphus. His Thyatyram, Magneſiam ad Sypilum, Amiſum, Amaſtridem, Sinopem, Mytilenen, Myrleam Bithyniae, Amaſiam Ponti, Ninam, Pitanen, Prineam, Cletam in Magna graecia, Aneam, & Cynnam lactoream in agro Epheſino, partim ex numis, partim ex veterum ſcriptis addidit Petrus Petitus, qui & hunc a nonnullis ſancitum canonem ait „ *quocumque in numo bipennis, aut Amazonia pelta conſpicitur, illic Amazonem latere, quae urbem vel condiderit, vel ei nomen dederit* „. Haec vera ſi ſunt, ad Amazonem *Moſtene* pertinuit, & vulgatis notiſque Amazonum nominibus novum hoc adjungi dein poterit.

Amazonem equitantem alii exhibent graecorum numi, at equitantem turrito capite, & cum ara ante cupreſſum *Moſtenorum* dumtaxat Hadriano, & Gallieno inſcripti. Turritum caput urbem ab Amazone conditam deſignat; neque enim Amazones turrita corona vidiſſe umquam memini, niſi in earum urbium numis, quas ab iiſdem conditas fuiſſe fama eſt, Epheſi, Smyrnae, Magneſiae &c. Quid vero ſibi velit ara ignita ante cupreſſum, de-


definire non auſim . Suſpicor tamen his Cupreſſetum quodpiam , vel Cupreſſum deſignari apud Moſtenos ſacram , cujuſmodi trojanorum illa fuit , de qua apud Virgilium Aeneas lib. II. v. 714.

..... „ *Juxtaque antiqua cupreſſus ,*
Relligione patrum multos ſervata per annos . „

De arborum , lucorumque cultu , deque aris ante eas excitatis plurima diſputata ſunt , quae non neceſſe habeo hic referre .

M. An-

X



x·

M. ANTΩ. KOMOΔOC. CEB. *M. Antonius Commodus Auguſtus*. Caput Commodi laureatum.

ſic

)(KOΛΩN. ΘEIΩN. AYPHΛ. KPPH..... ΛOP.....
Aſtrum in Luna creſcente.

A Verſae partis inſcriptionem ſic legebam: Κολωνια θειων Αυρηλιων KAPPHNΩN Φιλορωμαιων., *Colonia Divorum Aureliorum Karrhenorum Romanorum amantium*.,,

Carrhas antiquam Meſopotamiae urbem M. Aurelio, & L. Vero Imperatoribus poſt parthicum bellum Romanorum Coloniam factas magni nominis Antiquarii conſentiunt.

tiunt. Hinc Κολωνια Αυρηλια *Colonia Aurelia* urbs haec dicitur in numis M. Aurelii, L. Veri, & Commodi, in hoc autem Κολωνια θειων Αυρηλιων nova fortaſſe in numis formula. Aurelium enim & Verum poſt obitum *Divos Fratres* in libris juriſconſultorum nuncupari notum eſt: num vero *Divi Aurelii* alicubi dicantur, ignorare me fateor. Carrhae non colonia ſolum, ſed *Metropolis* dicuntur, qua dignitate vel tunc ſtatim inſignitae, quum deducta Colonia eſt, vel paucis poſt annis a Commodo auctae: in hujus ſiquidem numo apud Vaillantium (Colon.T.I. p.210.) lego: ΚΑΡ. ΚΟΛ. ΜΗ. ΠΟ. Καρραι Κολωνια Μητηρ Πολεων. *Carrhae Colonia Metropolis*. Carrhenos Φιλορωμαιων titulo, quo in hoc aliiſque numis gloriantur, multo ante Coloniam deductam honeſtatos a Nerone fuiſſe cenſuit Vaillantius l.c.p.180.,, *Sed potius*, inquit, *haec denominatio illis videtur tributa ab Imperatore Nerone, ſub quo aeram dinumerare coeperunt, quum videlicet inter romanos recenſiti ſunt, & Vologeſes amicitiam redintegravit*, *ut innuit Tacitus* ,, mittebantur oratores, qui ſuo Parthorumque nomine expoſtularent cum datis nuper obſidibus, redintegra-


grata amicitia , quae novis quoque beneficiis locum aperiret . „ *Itaque ſi anni* CXI. *ad annum U. C.* 809. *quo Vologeſes victus a Corbulone obſides tradidit*, *adjiciantur*, *annum Romae* 919., *quo Colonia deducta eſt*, *conficient*. „ At haec idoneo ſine teſte non facile credam : hujuſmodi porro non eſt me judice regius hic Carrhenorum numus , cujus cauſa haec Vaillantius diſputat. M. AYP. ΦΙΛΩΡ. M. AIP.)(AYP. KAPPHNΩN ΦΙΛΩΡ. M. A. quae ſic legit : Μαρκω Αυρηλιω Φιλορωμαιοι Μητροπολεως πρωτης an. CXI.)(Αυρηλιω Καρρηνων Μητροπολεως Πρωτης : hunc ego numum perperam deſcriptum nullus dubito, idque non aegre ſibi perſuadebunt , qui norint Carrhenorum numos rudioris eſſe fabricae , ut ſi paululum detriti ſint, vix ac ne vix quidem , quid ſibi inſcriptio velit , aſſequi poſſis . Atque ut omittam exoticam illam anterioris partis epigraphen , illud primo animadverto , Carrhas *primam* Meſopotamiae *Metropolim* dici nequaquam potuiſſe M. Aurelio imperante , quum in ea provincia nullae aliae urbes tunc temporis hujuſmodi dignitate fulgerent . *Niſibis* enim , *Edeſſa* , atque *Amiſa* , quas Meſopotamiae Metropoles fuiſſe ſcimus, longe poſt haec tem-

tempora honorem hunc adeptae ſunt. Deinde quis non miretur Carrhenos, qui ſe ab Aurelio colonos deductos gloriantur, qui *Aurelios* ſe nuncupant, non ab hoc Imperatore, atque a deducta ab eo Colonia *Aeram* ſuam exorſos fuiſſe, ſed a Nerone, a quo quid ſubdito Parthis oppido praeclarum, & eximium collatum fuerit, nemo ſatis intelligit. Neque illud minus grave, quod numquam deinceps ſuis in numis, quorum non pauci extant, Carrhaeni *aeram* hanc uſurpaverint, eamque tacitam praetermiſerint, qui veterum urbium epochas enumerare, atque illuſtrare aggreſſi ſunt, atque hos inter Noriſius, qui tamen Rhaeſenorum, Edeſſenorumque eadem in Meſopotamia epochas non praetermiſit.

De Aſtro in Luna bicorni ſatis multa Vaillantius citato in opere. Deum Lunum a Carrhenis praecipuo honore cultum fuiſſe nemini non notum, qui ſtadia haec attigerit.

GA-

GASPAR ALOYSIUS ODERICIUS
CAJETANO MARINIO
S.



XI.

1. CUm multae ſint, & praeclarae veterum numiſmatum utilitates, tum illa non ultima, Marini, quod eorum, quae caduca rerum humanarum conditione tenebris obruta jacuiſſent, memoriam conſervant, ac ſubinde nobis reſtituunt. Quis *Teiranem*, ut ex iis, quae noſtra hac aetate in lucem prodierunt, aliqua tantum perſtringam, quis inquam, *Teiranem*, & *Thotorſem* Thraciae reges, quis *Aiacem*, & *Teucrum* Olbienſium Pontifices, & Toparchas, quis *Sulpiciam Dryantillam* Au-

Auguſtam vixiſſe unquam ſciret, ni detecta ſuperioribus annis numiſmata, eorum nos & nomen, & dignitatem edocuiſſent? Hujuſmodi profecto eſt graecus hic numus, quem illuſtrare aggredior. Inſculptae notae, vulgatae illae quidem, atque in aliis tum graecorum tum latinorum numis non infrequentes, at numi inſcriptio nova profecto, atque ante hunc diem fortaſſe ignota. Nunc primum quod ſciam ΟΜΑΛΟΣ e numis prodit, atque in apricum profertur. Quid hoc porro nominis, & cujas numus? locine an magiſtratus nomen? Aſiaticus ne, an Graecus, an Siculus numus? Si ex fabrica indicium ferre liceret, *Siculum* numum hunc dicerem, at expertus didici, quam fallax ſaepe ſit deductum ex fabrica judicium. Sicilia igitur omiſſa, in qua *ομαλος* nullus, ſive magiſtratus, ſive oppidum hactenus emerſit, age experiamur, ſicubi illum reperire poſſimus.

II. Ac primum, cum *οναλον* vetus Epiri Caſtellum ab Juſtiniano Auguſto reſtauratum apud Procopium (de Aedif. Juſtinian. lib. IV. c. 4.) legerim, illa ſtatim obverſatur animo cogitatio, num caſtellum hoc numus iſte nobis exhibeat, atque aut *ὅμαλον* apud Procopium, aut *ὄναλον* in numo legendum

 ſit,

ſit, facili librariorum, & monetariorum artificum errore, cum affinis eſt literarum figura, cujuſmodi eſt M & N: at haec veriſſima ut ſint, nullius tamen nominis caſtellum, & cujus exigua apud unum Procopium mentio, huc neutiquam pertinere pro certo habeo.

III. Sed neque huc Lyrneſſus illa pertinet, quae Euſtathio Auctore *ὁμαλη* cognominata eſt. Vox iſta non urbis cognomentum, ſed *διακριτικον* nomen eſt, me judice, *απο της ομαλοτητος*, quod in planitie ſita urbs foret: ut enim paulo poſt dicam, duas praeter *Troicam*, Lyrneſſos fuiſſe opinor. Sed prius totus ille Euſtathii locus hic recitandus, vitioſum enim eſſe omnino cenſeo. *Οτι κιλικων*, inquit (in Dionyſ. *περιηγ.* v. 875.) *εςι πολις και η λυρνησσος αλλη παρα την τρωϊκην ονομαζομενη και ομαλη. Εφ' υψους μεν κειμενη, κληθεισα δε ουτως απο τινος Μαλλου κτισαντος αυτὴν, η απο μαλλων, η των ςεμματων, α κορακος αρπασαντος ποθεν, και καταθέντος ενταυθα, εκληθη η πολις κατα χρησμον υπο Μοψου και αμφιλοχου των υμνουμενων μαντεων, οι και Μαλλον εκαλεσαν την πολιν εκ των τοιουτων μαλλων*: haec Euſtathius, quae ſic latine

ne interpretatur Bertrandus (in Dionyſ. p. 244.) : *Cilicum porro civitas eſt Lyrneſſus , alia quam Troica , alio nomine Homala : in alto quidem ſita , eo autem nomine a Mallo quodam dicta , qui illam condidit : vel απο μαλλων , ideſt a coronis , quas corvus olim rapuerat , ibique depoſuerat , dicta eſt : idque ex oraculo a Mopſo , & Amphilocho celeberrimis vatibus , qui Mallon vocarunt* : Vitii hic , inquam , aliquid ineſſe pro certo habeo ; quì enim a Mallo , ſive herois , ſive coronae nomen ſit , ὁμαλη deduci potuit ? Vocis etymon , ſi quaeras , rectius ſane *απο της ομαλοτητος* , ut paulo ante dicebam , deſumes . Deinde Lyrneſſum , & Mallum urbes fuiſſe duas Dionyſius , cujus ſcholiaſtem Euſtathius agit , his verſibus diſerte docet (*περ*. v. 884 , 875.) :

,, Πολλαι δ' εξαης κιλικων γεγαασι
,, πολης
,, Λυρνησσος , Μαλλοςε και αγχια-
,, λεια , σολοιτε
,, Multae autem deinceps Cilicum
,, ſunt urbes ,
,, Lyrneſſus , Malluſque , & Anchia-
,, lea , & Soli.

Dionyſio Strabonem adde , Plinium , &

Curtium, qui *Lyrneſſum* a *Mallo* diſtinguunt, (Strab. l. xiv. p. 667. 675. Plin. H. N. V. 27. Curt. l. iii. 4. 7.): at ſi relata Euſtathii verba legis, non duas, ſed unam eamdemque urbem eſſe *Lyrneſſum* & *Mallum* omnino ſentis. Euſtathium tam aperta in re dormitaſſe non credo: illud valde miror, Mathaeum, & Bertrandum latinos Euſtathii interpretes, nihil hic vidiſſe. Senſit fortaſſe Politus, quae de nominis veriloquio animadverti, & pro *Homala* legit *Mallus* (in Dionyſ. p. 449.); at dum uni medetur vitio, alterum, quod gravius eſt, incuratum reliquit: atqui huic loco curationem afferre non ita erat difficile. Nullus igitur dubito, quin ab Euſtathii contextu vox Μαλλος exciderit, quae vox apud Strabonem legitur, a quo ſua Euſtathius deſumpſiſſe videtur: *πλησιον δε και* Μαλλος *εφ' υψους κειμενη*: vel potius amovendum illud *μεν* ante *κειμενη*, atque ejus loco nomen Μαλλος reponendum. Literarum compendium, quo vox iſta ſcripta fortaſſe fuit, librarium decepit, & quid fugientes characteres ſibi vellent non aſſequens, eos pro ſigla, quae *μεν* (V. Siſt. lett. Grec. l. M) ſignificat, imprudens accepit. Legendum igitur λυρνησσος .... *ονομαζομενη και ὁμαλη*.

λη. Εφ' υψυς ΜΑΛΛΟΣ κειμενη, atque unius vocis reſtitutione duplex ab Euſtathii contextu vitium ſublatum erit. At quando Dionyſii Scholiaſten ab errore, atque oſcitantia vindicavi, Dionyſius ipſe contra Salmaſium defendendus eſt, qui *Lyrneſſum* in Cilicia a Dionyſio poſitam criminatur (in Solin. p. 775.). *Haec* των κορυκων ομωνυμια *aliis etiam fraudi fuit, ut Curtio, qui Lyrneſſum & Thebem urbes in Cilicia prope Coricum ponit, quae juxta Corycum Pamphyliae fuerunt .... erravit eodem errore, & Lyrneſſum in Cilicia recenſet Dionyſius*: addere & Heſichium potuiſſet, nam & is Lyrneſſum in Cilicia ſtatuit: Λυρνησος και Κιλικιας πολις. Vereor tamen, ut non divinando potius, quam ex ipſis autorum verbis eruerit Salmaſius Lyrneſſum των κορυκων ομωνυμια in Cilicia poſitam. Quod enim Corycium nemus nominet Curtius: *monſtrabantur urbium ſedes Lyrneſſi & Thebes: Typhonis quoque ſpecus & corycium nemus*; non continuo ſtatuendum, nomen hoc in cauſa fuiſſe, cur Lyrneſſum in Cilicia Curtius collocarit. At de Dionyſio, qui *Coryci* Cilicii ne meminit quidem, multo etiam minus. Quid ſi praeter Troicam,

 & quam

& quam in Pamphylia fuiſſe Straboni, Plinio, & Euſtathio (ll. cc. Euſt. in B. Iliad. & in Dionyſ. v. 855.) ipſi aſſentior, *tertia* in Cilicia *Lyrneſſus* vere fuerit? Id mihi non aegre perſuadet, tum Dionyſii, Curtii, & Heſichii apertum, & minime dubium teſtimonium, tum idem Euſtathius, qui cum Lyrneſſum Pamphyliae a Dionyſio praetermiſſam commemoraſſet (l. c.), *medio porro inter Phaſelidem & Attaleam ſpatio Thebe, & Lyrneſſus Urbes troicarum cognomines*: de Lyrneſſo Cilicum paulo poſt differit, atque eam ὁμαλην cognominatam refert. Non diſſimulaſſet profecto Euſtathius γεωγραφικον auctoris ſui αμαρτημα, ſi nulla in Cilicia *Lyrneſſus*: atque illam e Pamphylia geographus tranſtuliſſet. Alia igitur, & a Troica, & ab ea quae in Pamphylia fuiſſe perhibetur, Lyrneſſus Cilicia: ὁμαλη, non a *Mallo*, ſed quod in planitie ſita eſſet, nuncupata. Hanc ego utraque antiquiorem facile credo, multo enim mihi probabilior Harduini opinio, qui Troicos Cilices Ciliciae extra Taurum ſitae coloniam cenſuit (in Plin. lib. v. c. 30. n. 7.), quam veterum nonnullorum, qui apud Strabonem (ll. cc.) contrarium docuiſſe videntur:

tur : *cum autem Trojani Cilices, quorum Homerus meminit, longe diſtent a Cilicibus extra Taurum ſitis, quidam his autores illos generis fuiſſe tradunt, & quaedam loca, hic etiam*, in Cilicia, *monſtrant, ſicut in Pamphylia Thebam, & Lyrneſſum*. dixerat paulo ante: *ajunt inter Phaſelidem, & Attaleam monſtrari Thebam, & Lyrneſſum: cum e Thebano campo Troicorum Cilicum ejectorum pars in Pamphyliam veniſſet; autor Calliſthenes*: & alio in loco (lib.XIII. p.627.): *ſunt qui affirment Cilices e Troja pulſos in Syriam migraſſe, Syriſque eam ademiſſe, quae nunc eſt, Ciliciam*. At cum Cilix Agenoris filius Cadmi frater, a quo Ciliciam extra Taurum nomen ſortitam communior eſt opinio Herodoti, Apollodori, Hygini (Herod.VII. 91.Apol. Bib.III. Hygin. Tab. 178.) aliorumque teſtimonio firmata, *Phoenix* inquit Apollodorus, *in Phoeniciam ſe contulit: Cilix huic finitima loca occupavit, atque omnem Pyramo amni adjacentem regionem ſubegit, eamque de ſe Ciliciam nominavit*. cum Cilix, inquam, trecentis ante trojanam ἅλωσιν annis (Vid. Mar. Oxon. ep. 7. & 25.) regnaverit, multo mihi veriſimilius Cilicum

horum manum, ſuperato Tauro, atque in Troadem profectam illic *Thebam*, & *Lyrneſſum* earum urbium nomine, quas in Cilicia reliquerant, aedificaſſe, quibus ab Achille everſis, qui in Pamphyliam ſe receperant, nova illic oppida condidere, quae *Lyrneſſum* & *Thebam* appellare iterum placuit; ex his Lyrneſſus, in colle poſita, ut olim troica Senecae (Troad. v. 229.) teſtimonio

„ *Impoſita celſo parva Lyrneſſos jugo*.

Sed de Lyrneſſo ſatis multa.

IV. Ὁμαλην Theſſaliae montem Argonauticorum ſcriptor, quiſquis ille tandem ſit, Orpheus an alius quiſpiam, memorat (Arg. v. 460.)

Αγχιαλος ϑ' ὁμαλη &c.

Maritimaque Homale &c.

At ὁμολη legendum monet Holſtenius (not. in Steph. V. ὁμολη), cui libenter ſubſcribo; ὁμολη enim legitur apud Euripidem (Herc. Fur. v. 370.), Theocritum (Idil. 7.) Apollonium (Argon. l. v. 594.), Dicaearchum (Geog. v. 34.) Pauſaniam (lib. IX. c. 8.) Virgilium (Aen. VIII. v. 675.), firmatque deductum inde ὁμολωῒς cognomen. Ab *Homole* quippe Theſſaliae monte *Homoloidem* unam ex ſeptem Thebarum

por-

portis cognominatam autor eſt Pauſanias (l. c.) : *praeter eas*, inquit, *quas cognominavimus, portas eſt quae Ogygia nominatur, & omnium poſtrema Homolois, cujus nomen ita nuperrimum eſſe apparet, ut Ogygiae antiquiſſimum : dicta vero eſt Homolois, ex eo quod in pugna cum argivis ad Elizantum accepta clade, quum multi Laodamantem Etheoclis filium ſecuti profugiſſent, eorum pars ab itinere capeſſendo in Illyricis abhorruit, converſi autem in Theſſalos Homolen occuparunt, omnium qui in Theſſalia ſunt montium maxime fertilem, & aquis irriguum. Illinc a Therſandro Polynicis filio poſtliminio revocati portam, qua redeuntes urbem ingreſſi ſunt, Homoloidem ab Homole, in quo conſederant, nuncuparunt.* Eadem, quae Pauſaniae, Ariſtodemi apud Euripidis ſcholiaſten opinio fuit (ad Phoeniſ. v. 1126.): quibus ſi aſſentiaris, eodem ex fonte deducenda, tum Minerva ὁμολωΐς cujus Lycophron (Caſſand. v. 520.) meminit, quaeque hoc nomine donata eſt, quod apud *Homoloidem* portam coleretur, ut refert Licophronis ſcholiaſtes : tum Iupiter ὁμολωϊος, & Ceres ὁμολωΐα, qui Thebis pariter colebantur : non enim aſ-
ſen-

ſentior aut Ariſtophani Thebaicarum rerum ſcriptori, qui Iovem *Homoloidem* ab Homoloide fatidica Ennyei filia nominatum ſcribit (apud Suid. V. *ὁμολωῒς*): aut Iſtro, qui Iovem *ὁμολωῒυ* nomen ſortitum putat, quod concordiae paciſque ſtudium *ὁμολον* apud Aeolenſes vocaretur. At Thebarum portam, ſive *ultimam*, ut Pauſanias ſive *tertiam*, ut Statius (Theb. lib. VIII. v. 354.) ſive *quartam* ut Euripides cenſuit (Phoeniſ. l. c.) ab Homole cognominatam negant graecorum critici apud Euripidem, quorum alii ab *Homoleo* Amphionis filio, *Homoloidis* nomen derivant (l. c.); alii ab Homoloide Niobes filia portae nomen datum arbitrantur. Ut ut ſit, Holſtenii emendationem tuetur *ὁμολιον*, ſive *ὁμολις* ad Peneum urbs, quam ab *Homole* monte nomen ſortitam nemo dubitat.: meminere Scylax Dicaearcus, Strabo, Livius, Plinius & Stephanus (Scil. Perip. p.28. Dicaear. l.c. p.23. Strab. IX. 442. Liv. lib. 42. n. 38. Plin. H. N. IV. 10. Steph. V. *ὁμολιον*), & Magneſiae Theſſalicae jure tribuunt: Apollonii enim Scholiaſten, qui illam in Thracia collocat (l. c. p.135.), nihil moror; vel deceptus eſt, vcl Thraciam ad Peneum uſque protulit, quod ab Ho-

Homero primum factum, ut docet Strabo (lib. I. p. 6., 28.) alii etiam imitati ſunt. Extant hujus urbis numiſmata ομολιεων inſcripta (Vid. Froelich. Muſ. Vindob. Tab. xv. n. 4.), quod gentile nomen, quum ab ὁμαλῳ deduci recte nequeat, de hac urbe cogitandum non eſt.

v. At illa fortaſſis non improbanda ſuſpicio, ὅμαλον hunc noſtrum ὁμυλας eſſe Theſſaliae urbem apud Ptolemaeum (Geog. lib. III. c. 13.). Θεσσαλων υπατα σοσθενις, ὅμυλαι, κυπαιρα, φαλάχθια; jamdiu enim docti viri animadverterunt, & multa apud Ptolemaeum urbium nomina corrupta; & pleraque in Theſſalis eſſe obſcura (Fabr. Bib. Gr. lib. IV. c. XIV. p. 414. Cellar. Geogr. Antiq. Tom. I. p. 854.). Suſpicionem ipſae numi notae augere videntur; Theſſalica enim veſtigia in iis non leviter impreſſa videre mihi videor, ut paulo poſt oſtendam. At quamvis perturbatum hic aliquid facile credam, malim tamen pro ὅμυλαι, non ὅμαλος, ſed ὁμολιον legere: animadverti enim urbem hanc a geographo praetermitti, dum alias Theſſalorum urbes enumerat. Quae vera ſi ſint, non urbis modo nomen Ptolemaeus corrupit, ſed & loci ſitum turbavit. Strabo-

bone quippe auctore (lib. IX. p. c.) *ὁμολις ad Oſſam erat ſub initium Penei, ubi is per Tempe ſe evolvit*, qui loci ſitus a Ptolemaico alius ſane eſt. Sed haec alii diligentius inquirent.

VI. Hactenus quid ὁμαλὸς non ſit, age nunc, quid ſit evolvamus. Sic igitur cenſeo, ὁμαλον hunc noſtrum non urbis, ſed Herois nomen eſſe, atque illum ipſum eſſe, a quo *Temnum* conditam narrat Stephanus (V. τημνος.): τημνος πόλις της Αιολιδος. Ο῾μαλλος γαρ ελαβε χρησμον, ὁπȣ ἀν ο τȣ αρματος αξων διατμηθη, πολιν κτισαι. Καὶ διατμηθεντος τȣ αξονος εκτισε: *Temnus urbs Aeolidis. Homallus enim accepit oraculum, ubicumque currus axis diſſectus fuiſſet, urbem condere: & diſſecto axe condidit*: a τεμνω ſcilicet, urbem Temnum nominavit. Geminatum apud Bizantinum λ perturbare neminem debet, qui animadverterit, librariorum ſaepe oſcitantia, ſaepe pronunciationis vitio, ſaepe etiam διαλεκτȣ natura, atque indole literas geminari, cujus rei exempla ex Dorica praeſertim διαλεκτω ſi proferam, utar in re non dubia teſtibus non neceſſariis. Quid ſi hoc, vel vitium, vel quo alio nomine vocare placeat,

ceat, Stephani proprium fuit, ut λ geminaret? Plura hujus rei exempla animadvertit Holſtenius: ſic αλλαλια, pro αλαλιη: γαλλησιον, pro γαλησιον; σολλιον pro σολιον; ολλινα, pro ωλινα apud Stephanum invenies. Idem ab aliis etiam Bizantinis ſcriptoribus factum notavit Spanhemius (not. in Callim. p. 556.); ut nemini mirum eſſe debeat, ſi ὁμαλος a Bizantino ſcriptore ὁμαλλος dictus ſit. *Homali* igitur Temni conditoris nomen profert hic numus. Nam quod urbem hanc a *Temno*, neſcio quo conditam velit Spanhemius (de Praeſ. Num. diſs. IX. p. 563.), numoſque urbis proferat hinc τημνατων, illinc τημνος inſcriptos, componi res facile poteſt, ſi dicas urbem *ab Homalo* olim conditam, a *Temno* poſtea inſtauratam fuiſſe, a quo deinceps, nomen adepta ſit. Hujus rei non unum apud veteres exemplum reperiet, qui volet: ut aliquo tamen rem illuſtrem, Achaiae metropolis, quae uti Apollodorus narrat (Bib. lib. I. p. 33.), a Siſypho Aeoli filio fabricata *Ephyra* prius dicta eſt, a *Corintho* dein Marathonis filio nomen accepit, ſi vera Pauſanias ſcripſit (lib. II. c. I.): neque enim hic cum Pridoxio contendam, cui mi-

minus placuiſſe video (ad Marm. Oxon. p. 142.) , quae de Corintho Marathonis filio narrantur . Quamquam , ut ad *Temnum* revertar , libentius Froelichio ſubſcribam , qui τημνος non conditoris nomen , ſed urbis eſſe cenſet (Not. Element. Num. p. 236.); ut ἀπάμεια , ἐρυθραι , Γ'εραγέρμη , Σαρδις , *& ſi qui ſunt ejus generis , cum nomine populorum , in poſtica parte* ἀπαμεων .... τημνειτων .&c. quae eo magis probo , quod in Temnitarum numis non virile caput ſculptum eſt , ſed muliebre , turritumque , quo urbem deſignari , norunt rei numariae periti .

VII. Temni igitur conditoris nomen aere impreſſum exhibet tandem nobis hic numus ; idemque Bizantinum geographum, illuſtrat , & clariſſimi , atque amiciſſimi viri νομισματοθηκην locupletat atque ornat . Quo tempore percuſſus ſit omnino ignoro , ab eodem *Homalo* percuſſum neutiquam cenſeo . Nam quum , uti paulo poſt dicam , Temnum ab *Homalo* circa ea tempora conditam ſuſpicer , quibus Cuma ab Aeolenſibus , & Theſſalis fabricata , vel a Cumanis Smyrnam Colonia deducta eſt , quorum illud annis poſt Trojam captam 150. , hoc vero annis 168. contigiſſe ſcribit

bit auctor vitae Homeri (Herod. v. Hom. n. 38.); omnium quot habemus antiquiſſimus foret hic numus, eaque ipſa tempora fortaſſe ſuperaret, quibus *Hermodice*, ſeu *Demodice* Midae II. uxor cumaeis prima numos cudiſſe perhibetur. Tantam porro antiquitatem elegans numi fabrica, & concinna litterarum forma non patitur: ut veterem illam inter auctores controverſiam nequaquam attingam, an quiſpiam Phidone argivo, qui trecentis poſt bellum Trojanum annis floruit, antiquior numos percuſſerit. Illud multo mihi probabilius, Temnitas conditoris ſui nomen aere hoc poſterorum memoriae multis poſt annis commendaſſe, ut ab aliis factum novimus, qua de re uberrime Spanhemius, & Froelichius diſſerunt. Nemo porro miretur, Temnitas hoc in numo aut nomen ſuum diſſimulaſſe, aut herois vultum non appoſuiſſe. Utriuſque rei exempla veterum numiſmata ſuppeditant. Hujuſmodi ſunt *Poſſidonii* apud Begerum (Theſ. Brand. Tom. I. p. 276.), & *Eupolemi* apud Haymium (Muſ. Britt.); Quae illa urbes percuſſerint, longa ſatis, & litigioſa diſputatio, quam hic attingere non neceſſe habeo. Hujuſmodi etiam Gnoſſiorum numi aliquot ſo-

ſolo magiſtratus nomine inſignes , quos Kellius feliciter detexit (Kell. append. 2. ad Geſner. p. 86.) : hos inter eruditorum diſſidiis illuſtris , qui Κυδας inſcribitur, quem alii *Cydoniae*, alii *Cythaeo*, nonnulli *Cydae* ignotae urbi tribuerunt, qui tamen Gnoſſiis tribuendus fuit, ut idem Kellius recte vidit , firmantque Cretenſium Ciſtophori Κυδας Κρηταρχας inſcripti.

VIII. De *Temno* nihil eſt , quod novi dicam : plura ex Xenophonte Strabone , Pauſania & Plinio praeoccuparunt Cellarius (Geogr. Vet. Tom. II. p. 58.) , Valeſius (excerpt. Polyb. p. 29.) , Triſtanus (Com. in Num. Imp. Tom. II. p. 400.) , Wildius (Numiſ. Select. p.2014.) , Theodorus Gronovius (Baſis Tiberian. c. 2.) , Mazzolenius (Muſ. Piſan. T. I. p. 152.) , aliique veterum nummorum interpretes . Illa fortaſſe non ſatis explicata quaeſtio, unane, an duplex fuerit Temnus ? Duas agnovit Plinius (H. N. V. c. 29. 30.) , alteram ad Hermi fluminis oſtia : *fuit in ore ejus*, Hermi , *oppidum Temnos .... Leuce in promontorio , finiſque Ioniae Phocaea* . Alteram in mediterraneis : *Aeolis proxima eſt .... intus Aegae , Attalia , Poſſidea , Neon-tichos , Temnos* . At unius tantum Stra-

Strabo meminit (lib. XIII. p. 621.), eamque ad montana ſupra Cumam, & Smyrnaeum agrum jacentia collocat: Unius Stephanus Bizantinus (c. l.), atque his antiquior Herodotus, ubi Aeolicas urbes enumerat (lib. I. n. 149.): conſentiunt enim critici hoc loco: *Aeolicae civitates ſunt Cumae, quae & Phryconis vocatur, Lariſſae, Novus-murus*, TENVS, *Cilla, Notium, Aegiroeſſa, Pitana, Aege, Myrina, Grinia*; conſentiunt, inquam, pro *Tenus* Cycladum inſula, legendum *Temnus*. Unam eſſe, & ipſe cenſeo, atque hanc ab Hermi ripa non longe poſitam, quod tum Pauſania auctore diſcimus (lib. V. c. 13.); tum luculentius oſtendunt Otaciliae Auguſtae, & Philippi junioris numi a Temnitis percuſſi, quorum averſa facies fluvium decumbentem praeſefert cum his literis τημνειτων ερμος (Vail. num. graec. p. 765. Weheler Vojag. T. I. n. 94. Muſ. Theup. p. 1072.). Neque tamen Plinium omnino erraſſe velim. Quid ſi Temnitis a maris littore remotis navale aliquod ejuſdem nominis in ore Hermi fuit, quod incolarum frequentia oppidi nomen meruerit? Urbium quarumdam a mare paulo reductarum peculiare hoc fuiſſe, ut ſejunctis na-

valibus uterentur, notum vulgatumque eſt. Aegyratarum Navale, cui idem ac Aegyris urbi nomen habes apud Pauſaniam (lib. VII. c. 26.): alia plura apud geographos invenies, ſi voles. Suum *Temnitis*, etiam fuiſſe ſuſpicor, quod Plinii aetate deſtructum jam fuerat, ut verbum illud *fuit* ſatis indicat, atque ab Harduino animadveſum eſt.

IX. At quis ὅμαλος Temni conditor, fuerit, qua aetate vixerit, haec, quae ignorare nos Stephanus voluit, fruſtra apud graecos latinoſque Scriptores quaeres. Non levis jactura, niſi illam aliqua ex parte numus iſte compenſaret: licet enim ex eo colligere, *Homalum* hunc Theſſalum fuiſſe; Theſſalicae quippe originis documenta, ut ſuperius dixi, numus exhibet. Habes in eo Equi caput Theſſaliae ſymbolum; vulgata namque non poëtarum ſolum carminibus, ſed hiſtoricorum etiam teſtimonio regionis hujus laus, nobilium equorum greges non uno in loco aluiſſe, omnium primam fraeno domuiſſe, & bellicos in uſus armaſſe. Habes χρυσεοπήληκος Minervae caput, tutelare gentis numen, cujus duo illuſtria apud Theſſalos templa, alterum *Itone*, alterum *Itho-*

Ithome, ex quibus *Itoniae*, & *Ithomiae* cognomentum Minerva ſortita eſt. Prioris Strabo, Pauſanias aliique meminerunt: *Ad Thebas*, inquit Strabo (lib. IX. p. 435.), *in mediterraneis eſt Crocius campus ad fines Othrys montis: per eum fluit Amphryſſus fluvius: ſupra eſt Iton, ibique Itoniae templum Minervae: unde etiam in Boeotia nomen habet & fluvius Cuarius, de quo diximus in Arna Boeotiae*. Hinc minime mirum, *Itoniam Minervam* militarem Theſſalorum teſſeram fuiſſe eo, in praelio, quo contra Phocenſes infeliciter pugnarunt, ut refert Pauſanias (lib. X. c. I.); *Ithomiae* Minervae templum apud eumdem Strabonem (l. c. p. 438.) invenio: *eſt etiam Pharycadon oppidum Eſtiaeotidis per quod Peneus fluit, & Curalius. Hic quidem Ithomiae templum Minervae praeterlapſus in Peneum ſe effundit*. Fruſtra Caſaubonus *Ithoniae* legendum hic contendit, atque eos errare qui Strabonis auctoritate Minervam *Itoniam* atque *Ithomiam* diverſas eſſe arbitrantur: *legendum* inquit (in l. c. Strabonis) *ἰθωνιας ex ipſo Strabone in Boeoticis; quare errant, qui auctoritate Strabonis utuntur, ut probent Iteneam Minervam, & Ithomeam diver-*

 ſas

ſas eſſe . At ego Caſaubonum , & , qui eidem ſubſcribit , Begerum errare omnino exiſtimo atque ex ipſo Strabone contrarium prorſus effici non dubitanter pronuncio . Decepit , opinor , doctum Strabonis Scholiaſtem Curalii nomen , atque unum idemque flumen cenſuit , *Curalium* , qui hic nominatur , & *Cuarium* , a quo Boeoticus nomen ſortitus fuit , quod longe ſecus eſt : duo enim diverſa flumina fuerunt *Cuarius* ſupra Crocium campum , non longe ab *Itone* defluens , & *Curalis* , qui *Ithomiae* templum praeterlabebatur : alter enim ad ſiniſtram Penei , ubi *Ithome* Eſtiaeotidis urbs , alter ad dexteram ubi *Iton* . Juvat e via paululum deflectere , & rem ad veterem Theſſalorum geographiam illuſtrandam non omnino inutilem , teſtatam facere .

x. *Cuarius* igitur , ut ab hoc incipiam , fluebat non longe ab Itone Phthiotidis urbe , ab *Itono* Amphictyonis Filio denominata , ut apud Apollonii Scholiaſtem auctor eſt Armenidas (Argon. lib. 1. v. 551. p. 133.) . Urbem & fluvium ſupra Crocium campum non procul a Thebis , & Othrys radicibus fuiſſe ait Strabo , cujus verba ſupra recitavimus . Crocium porro cam-

campum , Othrym montem & Thebas Phthioticas longe a dextra Penei ripa ſitas , notius eſt veteris geographiae peritis , quam ut hic probari a me neceſſe ſit ; a dextra inquam Penei ripa , qui ab occaſu in ortum fluens Thermiacum in ſinum ſe exonerat . Straboni Pauſaniam adde , qui *Itoniae* templum *Pharas* inter , & *Lariſſam* ſtatuit (lib. I. c. 13.) : *Praelii certe magnitudinem & Pyrrhi Victoria quanta fuerit , declarant Gallorum ſcuta in Itoniae templo quod eſt inter Phaeras , & Lariſſam* . Phaeras , & Lariſſam , ſive *Cremaſte* illa ſit , ſive altera ad Peneum inter Theſſalicas urbes illuſtris , a dextra hujuſce fluminis poſitas certum eſt . Decurrebat igitur *Cuarius* per eam Theſſaliae partem , quam Peneus Thermiacum ſinum petens dextrorſum relinquit . At contra *Curalius* , ea in parte defluebat , quae ad ſiniſtram Penei jacet . Teſtatur id Strabo (lib. IX. l. c.) , quum *Pharycadonem* per quam , ut vidimus, Curalius fluebat , ad Penei ſiniſtram fuiſſe ait : *Peneus e Pindo ortus ad laevam relictis Tricca , Pellinnaeo , Pharycadone praeter Arracem , & Lariſſam fertur* . Quod ſi laeva in parte *Curalius* fuit , tum *Ithomiae*

miae templum, tum *Ithome* a qua Templo, & Minervae nomen, ſiniſtrorſum ſtatuenda ſunt. Neque vero fieri aliter poteſt, quum *Ithome* Triccam inter, Pellinnam, Menopolim, & Gomphos a Strabone collocetur, quas omnes ad eamdem Penei ſiniſtram idem ſtatuit. *Ithomen* porro Triccae proximam Strabone antiquor docet Homerus (B. v. 729.):

„ Οι δ' ειχον τρικκlω, και ιθωμlω
„ κλωμακοεσσαν
„ Οι τ' εχον οιχαλιlω πολιν ευρυτȣ
„ οιχαλιnος
„ *Qui vero tenebant Triccam, &*
„ *Ithomen aſperam*
„ *Quique tenebant Oechaliam urbem*
„ *Euryti Oechalienſis*

Dixerat paulo ante (ib. v. 695.):

„ Οι δ' ειχον Φυλακlω, κι πυρρα-
„ σον ανθεμοεντα
„ Δnμnτρος τεμενος Ιτωνα τε μn-
„ τερα μnλων
„ Αγχιαλον τ' αντρωνα nδε πΊελεον
„ λεχεποιlω
„ *Qui vero Phylacen tenebant, &*
„ *Pyrraſum florentem*
„ *Cereris lucum, Itonaque matrem*
„ *ovium*

„ *Ma-*

„ *Maritimamque Antrona , & Pte-*
„ *leum herboſum* .

Quibus non *Itonem* modo ab *Ithome* diſtinguit Homerus , ſed quo jacerent ſitu oſtendit : locorum quippe ordinem ac ſitum poëtam ſaepe ſecutum refert Strabo (lib. 1. p. 27.) , atque hic manifeſto conſtat ; ſuperiora enim a ſiniſtra Penei ripa poſuit Strabo , ut vidimus , poſteriora vero ad dexteram in Phthiotide . At quidquid ſit de Homero , quae hactenus diſputavimus , ſatis , reor , oſtendunt , alium fuiſſe *Curalium* qui *Ithomiae* templum praeterlabebatur , alium *Cuarium* , qui prope *Itonem* decurrebat , & a quo Beoticus nomen ſumpſit , niſi vero a Strabone docto gravique auctore eumdem fluvium , modo ad dexteram , modo ad ſiniſtram Penei turpiſſimo errore collocatum velit Caſaubonus . Utrum vero qui *Cuarius* hic dicitur , *Curalius* etiam dicendus ſit , quemadmodum Palmerio (in Strab. p. 318.) placuit , non eſt cur hoc loco moroſius diſputem : aſſentior , ſi cupit , quando Boeotiae flumen , quod ab hoc nomen ſumpſiſſe fertur , non Alcaeus modo , quem citat Strabo , ſed Callimachus etiam *Curalium* appellet (in lavacr. Pallad. v. 64.) :

 „ Ηπι

„ Ηπι Κορωνειας ινα οι τεθυωμενον
„ αλσος
„ Και Βωμοι ποταμῳ κειντ᾽ επι
„ Κουραλιῳ
„ *Vel ad Coroneam, ubi ei odoribus*
„ *fragrans lucus*
„ *Et altaria ſunt ad Fluvium*
„ *Curalium*.

At illud omnino volo, duo in Theſſalia fuiſſe flumina *Cuarium* & *Curalium*, quorum alterum *Ithomiae* templum praeterlaberetur, alterum prope *Itonem* flueret. Quibus ita firmatis, nemo non videt, fruſtra Caſaubonum hunc Strabonis locum (lib. IX. p. 411.), e Boeoticis deſumptum nobis objicere: *Coroneam occuparunt Boeotici poſt bellum Trojanum revertentes ab Arna Theſſaliae, & potiti Coronea, in campo ante ipſum Itoniae Minervae fanum ejuſdem cum Theſſalico nominis condiderunt, fluuiumque* a Theſſalico Cuarium nominaverunt: *Alcaeus Curalium vocat*: fruſtra haec inquam; *Curalius* enim iſte alius eſt ab eo, qui praeter Ithomiae templum labebatur. Manu ſcriptos porro Codices, quibus tueri ſe Caſaubonus velle videtur, parum moror: jam ſupra docui, affines literas librariorum negligentia facile

le permutari, quod de M & N illic dixi, idem de T & Θ ſtatues; *tenuem* enim pro *aſpirata* a ſcriptoribus, & lapicidis poſitam non uno exemplo diſcimus: ſed illuc, unde me Caſauboni error detorſerat, revertamur.

XI. Habes, ut ajebam, hoc in numo Minervae, & equi caput, Theſſalicum numen & ſymbolum, quibus numos ſuos Theſſalos ſaepe ſignaſſe cum alii, tum *Pharſalitarum* numi apud Haymium (Muſ. Brit. T. II. tab. XXIII. n. 5.) luculenter oſtendunt. Iiſdem Temnitae conditorem ſuum, & ſe a Theſſalis ortos non obſcure indicant. Vetus namque, & ſolemnis urbium populorumque conſuetudo, ut eorum, a quibus orti eſſent, *numina*, *inſignia*, ſymbola ſuo in aere ſculperent, & qua eſſent origine demonſtrarent: *unde fas eſt*, inquit Spanhemius (l. c.), *de origine*, *ſeu genitali ſolo*, *ubi aliunde etiam non conſtet*, *ſtatuere*. Hinc, hiſtoriis etiam tacentibus, *Apolloniatas* Epiri, & *Dyrrachienſes* a Corcyraeis oriundos oſtendunt *Alcinoi horti*, & *lactens vitulus* eorum in numis ſculpti. *Horti*, inquam *Alcinoi*, non enim a vulgata interpretatione diſcedam, ut anonymo ſubſcribam, qui

Phaca-

Phaeacum inſulam ubi Alcinous regnavit, aliam a Corcyra fuiſſe contendit (Orig. des loix &c. T. II. lib. II. p. 164.): aut Barthelemyum ſequar, qui hiſce in numis Alcinoi hortos neutiquam ſculptos cenſet; ſed *quadratum* neſcio quod a monetariis operis rudi adhuc arte atque imperfecta excogitatum, atque in altera e formis prominens effictum, quo immotus conſiſteret numus, dum inter formas percutiebatur, atque huc illuc nequaquam excurreret (Barthelemy paleogr. numiſm. Tom. XXIV. Acc. des Inſcript. &c. p. 42. 44.) „ *Ces quarrés diverſifiés en tant des manieres, ne ſont donc qu'une ſuite des anciens empreintes en creux, que le beſoin avoit introduites, pour empecher le flan de varier, & que l'art perfectiona inſenſiblement.*

On peut etendre ce principe aux medailles de Corcyre de Dyrrachium, & d'Apollonie en Epire, que repreſentent d'un côté un quarré chargé d'ornemens, & diviſé en deux parties egales. Beger a pretendu que les Villes d'Apollonie & de Dyrrachium avoient emprunté ce type de Corcyre dont elles etoient colonies, & qu' il deſignoit ſur les medailles de leur metropole les jardins d'Alcinous .... cette expli-

plication a été adoptée par Spanheim par Wachter .... Je crois qu'on peut lui en ſubſtituer une autre beaucoup plus urayſemblable , & plus analogue à la pratique des monetaires de ce tems-la &c. „ . De Anonymo alii videant, non enim iſta nunc inquirimus, modo horti illi ſint, *Aclinoine* , an alterius horti ſint , parum curo. Barthelemyi conjecturam ingenioſam magis, quam veram exiſtimo. Nam primum, ut ea tantum , quae hoc ſpectant , perſtringam , quis credat trium diverſarum urbium artifices quadrata iſta eodem omnino pacto veluti ex condicto efformaſſe ? deinde cur non haec in aliis quoque harum urbium numis cernimus, qui eamdem praeſeferunt aetatem ? Atqui eadem erat, cur inſculperentur, cauſa. Tertio *quadrata* hujuſmodi non *cava*, uti eſſe illa oportuit, ſed *prominentia* ſunt. Adde numorum plurium elegantiam, quae artem ſubſidiis hiſce minime indigam oſtentat , atque illud imprimis, omnes eodem *vitulo*, & *Vacca* ſignatos eſſe, ex quo inferre jure liceat, conſilio id, dataque opera, non fortuito monetariorum ingenio factum. Neque illud praetermittendum, quod Barthelemyi novum *ſyſtema* penitus , ni fallor,

lor, evertit, quod illa ipſa *cava quadrata*, atque illos veluti *ſulcos* in quarumdam regionum, atque urbium dumtaxat numis invenimus, cum tamen aliorum extent populorum rudes atque abnormes numi, nulla arte nulla elegantia ſculpti: quocirca *quadrata* illa, atque illos ut dicebam *ſulcos* non rudis artis, atque artificum imperitiae indicium, ſed peculiare aliquid, atque ut ita dicam *ſymbolicum* ſignificare manifeſtum eſt. Haec facile mihi perſuadent, ut Begero, & Spanhemio adhuc aſſentiar. Sed ut haec tandem ſint; *Syracuſanos*, & *Corcyraeos* a Corinthiis oriundos docet inſculptus eorum in numis *Pegaſus*: *Megarenſes*, *Camarinaeos*, & *Lebedios* ab Athenienſibus *Noctua*. Non diſſimili pacto, *Equo*, & *Minerva* Theſſalorum ſe progeniem oſtendunt Temnitae. Theſſalorum porro plures in Aſiam, atque in Aeolidem commigraſſe, auctor vitae Homeri apertiſſime narrat (Herod. v. Hom. n. n.). *Cumani jam tum in Hermaei ſinus receſſu aedificantes ubi Smyrnam extruxiſſent, Theſeus volens uxoris ſuae memoriam relinquere, ab uxoris nomine Smyrnam appellavit, quippe id uxori nomen erat. Theſeus autem e primoribus Theſ-*

Theſſalorum fuit , qui Cumam aedificabant , ab Eumelo Admeti filio oriundus vitae facultatibus apprime inſtructus . Eumelum hunc inter graecorum ductores, qui ad Trojam oppugnandam profecti ſunt, Homerus recenſet (Iliad. B. v. 218.) .

„ Οι δε Φερας ενεμοντο παραι Βοιβηϊ-
„ δα λιμνην
„ Βοιβην . . . .
„ Των ηρχ' Αδμητοιο Φιλος παϊς εν-
„ δεκα νηων
„ Ευμηλος , τον υπ' Αδμητῳ τεκε δια
„ γυναικων
„ Αλκηςις πελιαο θυγατρων ειδος
„ αριστη .
„ *Qui vero Pheras colebant apud Boe-*
„ *beida lacum*
„ *Boeben* . . . .
„ *Horum imperabat Admeti dilectus*
„ *filius* XI. *navibus*
„ *Eumelus , quem ex Admeto peperit*
„ *praeſtantiſſima mulierum*
„ *Alceſtis inter Peliae filias forma*
„ *pulcherrima .*

Ex Eumeli nepotibus Theſeus hic, cui divinam originem Tacitus tribuit (An. IV. n. 56.) : *Smyrnaei repetita vetuſtate, ſeu Tantalus Jove ortus , ſive Theſeus divina ,*

& ipſe

& ipſe ſtirpe ..... condidiſſet . Vereor tamen ne Smyrnae conditorem, nominis ὁμωνυμίᾳ deceptus, cum Aegei filio, quem Aethram ex Neptuno peperiſſe fabulantur Tacitus confuderit : neque ſatis apte anonymi διςοιχον huc Lipſius (in Tacit. l. c. v. Anthol. lib. IV. p. 438.) detorſerit

„ Ημετερος γαρ εκεινος ο χρυσεος ην
„ πολιητης,
„ Ειπερ αθηναιοι σμυρναν απῳ-
„ κισαμεν.
„ *Noſter enim erat ille aureus ci-*
„ *vis*,
„ *Smyrnam ſiquidem Athenien-*
„ *ſes incoluimus* .

Quae alio omnino ſpectant : ſed haec Critici videant. Ex iis, quae Herodotus, ſeu potius alius quiſpiam, ſcripſit in vita Homeri, ſuſpicandi ſane locus eſt, una cum Theſeo aliiſque Theſſalis *Homalum* noſtrum in Aſiam profectum, ac Temnum circa haec tempora condidiſſe, nempe ut ſupra dixi annis poſt Trojam everſam 140., vel 168. quot ad Cumam, & Smyrnam conditas idem auctor enumerat. Haec tamen probabilia dumtaxat ; at illud certum, Theſſalos Aeolicas inter gentes recenſendos, ab Aeolo Hellenis filio, Deucalionis ne-

nepote, qui in Theſſalia regnavit, id nominis ſortitos, uti narrat Apollodorus (Bib. lib. I.). Theſſaliam prius *Aeolidem* nuncupatam auctor eſt Diodorus (lib. I. p. 183.): *In Terram quae tunc Aeolis, nunc Theſſaliae nomine cluet*. Theſsaliae incolas *Aeolos* appellat Strabo (lib. v. p. 220.): *Pelaſgi antiquam gentem per univerſam graeciam extitiſſe maxime inter Aeoles Theſſaliae gentes, quod apud omnes in confeſſo eſt*. His adde Athenaeum eadem confirmantem (lib. xiv. c. 5.) *Theſſali qui ſuae gentis initia Aeolibus accepta referunt*: ut quamvis nulla extarent Scriptorum teſtimonia, ſatis ſimile vero ſit, Theſsalorum plurimos Aeolibus gentilibus ſuis in Aſiam commigrantibus ſocios, & comites adhaeſiſse.

xiI. At haec dum diſputo, non ea animo opinio inſedit, a Theſsalis eos omnes ortos, quorum numiſmata *equi* caput proferunt, uti *Aegeorum*, *Carthaginenſium*, *Demetrii*, *Nucerinorum*, *Panormitanorum*, *Ptolemaei Mauritaniae regis*, *Romanorum*, *Thebanorum*, atque *Hyreſiorum*; Hyreſiae enim Boetorum urbi cujus Livius (lib. 32. n. 12.), & Plinius (H. N. iv. c. 7.) meminerunt, numum tribuo VPE. in-

inſcriptum, quem Begerus (l.c. T.1. p.287.) *Aurae* Phidolae equae, Havercampius *Hyriae* Aeolidis urbi, tribuit (Haverc. Th. Morel. T. 1. p. 64.). Plures eſſe, quibus nulla cum Theſsalis generis communio fuerit, non ignoro: novi non una de cauſa eo ſymbolo ſignari numos conſueviſse. Sic Demetrium, ſive *Poliorcetem*, ſive *Philopatorem*, ut de iis loquar, quos nominavi, *equi capite* Equitatus ſui *vim*, & *robur* commendare voluiſse Froelichio concedam (Annal. Syr. p.55.). Cur idem caput Poenorum numi oſtentent, certa, & explorata ratio eſt, quam hiſce verſibus Virgilius expreſſit (Aen. 1. v. 445. &c.).

„ Lucus in urbe fuit media, laetiſſi-
„ mus umbra,
„ Quo primum jactati undis, & tur-
„ bine Poeni
„ Effodere loco ſignum, quod regia
„ Juno
„ Monſtrarat CAPVT ACRIS EQVI,
„ ſic nam fore bello
„ Egregiam, & facilem victu per ſae-
„ cula gentem.

Nec alia de cauſa Panormitanorum in numis Equi caput viſitur, quam quod numi illi cuſi fuerint, quum Sicilia Poeni potieban-

bantur *Acris equi caput*, inquit Havercampius (in num. Panor. Tab. x. n. 94.), *in averſa parte cuderunt Panormitani, in gratiam ſcilicet Poenorum .... numiſma igitur percuſſum eſt ſub dominatu Carthaginenſium*. Sunt tamen ex illis ipſis nonnulli, quos ad Theſſalos referre jure poſſis, & debeas. *Thebaeorum* in primis, ut enim *Phthiotici* non ſint, ſed *Boeoti*, quod Froelichio placere video (Muſ. Vind. p. xxxviii.), Boeotos Theſſaliam priſcis temporibus tenuiſſe, atque Aeolenſes appellatos auctor eſt Pauſanias (lib. x. c. 8.): *ex Boeotis vero, nam & hi priſcis temporibus Theſſaliae partem tenuerunt Aeolenſes appellati*. *Aegaeorum* etiam, qui ad Aegas Aeolidis urbem pertinent, quas ſi ab Aeolenſibus Theſſalia profectis conditas dicam, non temere dicam. Quid porro ſibi velint, qui *Romanorum* nomen praeſeferunt, difficilius ſtatuere. Credamne a Pelaſgis percuſſos, a quibus Romam multo ante Romulum conditam nonnullorum opinio fuit, quam refert Plutarchus? *Pelaſgos, quum majorem partem peragraſſent orbis, plurimaſque deviciſſent nationes, eam oram*, Latium, *quidam auctores* ſunt tenuiſſe, *atque ex ſuo in armis*

robore urbem Romam dixiſſe (Vit. Romul. T. I. p. 37.). Vera haec ſi forent, Theſſalicae originis *Minervae*, atque *equi caput* iis in numis teſtimonium eſſe, affirmare liceret, Pelaſgos enim,

„ *Qui primi fines aliquando habuere*
„ *latinos*,

(Aen. VIII. v. 602.), e Theſſalia, unde illos Deucalion expulerat, profectos auctor eſt Dionyſius (Ant. Rom. lib. I. n. 17.): *deinde Pelaſgi quidam ex iis, qui habitabant in ea, quae Theſſalia vocatur, ſuas ſedes relinquere coacti, in partem ſedium recepti ſunt ab Aboriginibus, opibuſque communibus bellum contra ſiculos geſſerunt*. At haec irridebunt, quibus lupa & Romulus Remuſque circum ubera ludentes αληθεςερα των επι Σαγρα. Neque tamen, ſi quis numos hoſce ad Theſſolos referre omnino cupiat, propriora, ac certiora deerunt, quibus perſuadere id poſſit. Hujuſmodi eſſe cenſeo hunc Theſſalorum numum, qui eorum cum Romanis foedus exhibet, quem apud Arrigonium & Theupolum, deinde etiam apud Pellerinium inveni (Arrig. Num. pop. tab. V. n. 3. M. Theup. p. 1305. Pell. Tom. II. tab. XXVI. n. 1.). Quando nam, quave de cauſa foedus

dus hoc ictum ſancitumque fuerit, definire non auſim: Tria tamen tempora incidiſſe video, quibus fieri id potuit: Primum quum anno V. C. 549. P. Sempronio Tuditano proconſule pax Romanos inter & Philippum Macedoniae regem facta eſt. Lego enim apud Livium (lib. XXIX. n. 12.): *in eas conditiones pax cum conveniret, ab rege adſcripti foedere Pruſias Bithyniae Rex, Achaei, Boeoti, THESSALI, Acarnanes, Epirotae; a Romanis Ilienſes, Attalus Rex, Pleuratus, Nabis Lacedaemoniorum &c.* Alterum anno V. C. 557. quum Senatus, Populuſque Romanus, & T. Quinctius Flamininus, victo ad Cynocephalas eodem Philippo, liberas, immunes, ſuiſque legibus eſſe juſſit plures Aſiae, Graeciaeque gentes, quarum in numero non *Theſſali* modo fuerunt, ſed dati iiſdem a Romanis ſunt Achaei Phthiotae, exceptis Pharſalo, & Thebis Phthioticis, ut idem Livius narrat (lib. XXXIII. n. 34.): Quin hoc tempore Theſſali cum Romanis foedus aliquod ferierint, ut acceptam libertatem contra Philippum facilius tuerentur, nemo dubitabit, opinor. Tertium tandem a. V.C. 583. P. Licinio Craſſo, & Q. Caſſio Longino Coſ. quum nimirum Q. Marcius, &

 A. At-

A. Attilius Romani legati Aetoliam & Theſſaliam Macedonici belli cauſa circumeuntes Lariſſae Theſſalorum Concilio interfuerunt, ubi quemadmodum refert Livius (lib. XLII. n. 38.): *& Theſſalis benigna materia gratias agendi Romanis pro libertate fuit, & legatis, quod & Philippi prius, & poſt Antiochi bello enixe adjuti a gente Theſſalorum eſſent: hac mutua commemoratione meritorum accenſi animi multitudinis ad omnia decernenda, quae Romani vellent*: Quidquid tamen ſit, initi a Theſſalis cum romana republica foederis numus hic teſtis eſt minime dubius: qui porro foederis hujus cauſa numos illos, qui *Minervae* & *equi* capita, Theſſalorum inſignia praeferunt, cuſos vellet, is paulo veriſimiliora, & a Romanis moribus fortaſſe non aliena proferret. Suſpicor enim apud Romanos etiam fuiſſe hoc in more poſitum, ut ſi quod foedus inirent, pacemque aliquam firmarent, uterque populus numos iiſdem notis inſignes concordiae, atque amicitiae teſtes percuteret. Hanc mihi ſuſpicionem, neque enim conjecturam appellare auſim, *Serviliae* & *Veturiae* gentis numiſmata injiciunt, quae iiſdem prorſus notis ſignata ſunt, ac Sami-

nitium numi *C. Papii Mutili* nomine inſignes , quos primus detexit , egregiiſque commentariis Annibal Oliverius V. C. illuſtravit . (V. Tab.) ; tantam utrorumque in numis Romanorum , & Samnitium ſimilitudinem , quis caſu potius , quam conſilio extitiſſe arbitretur ? Factum vero , ut idem ille artifex , qui in Samnio *Papianos* numos percuſſerat , ſociali dein bello confecto , & pace ſancita , Romam delatus atque inter monetarios artifices adlectus Servilii , & Veturii numos *Papianis* ſimiles cuderit , uti doctus commentator cenſuit (apud Acad. Cort. T. II. p. 49. T. IV. p. 133.), ne ſi velim quidem , perſuadere mihi poſſum . Nam quis credat monetarios artifices pecuniam pro libito arbitriove ſuo quibus vellent notis ſignaſſe ? Fuit haec eorum cura , qui rei monetariae praeerant . Romanos porro vel quaeſtor , vel Triumvir pecuniae *typos* a Samnitibus non emendicaſſet . Videant viri docti an non illa tantae ſimilitudinis probabilior ratio , quod Romani , ac Samnites cum alia , tum numos hoſce communi charactere inſignitos initae concordiae teſtes eſſe voluerint ? *Veturianum* numum poſt italicam pacem , & civitatem Italis lege Julia conceſſam ,

 per-

percuſſum Havercampius (Th. Morel. T. I. p. 440.) credidit ; multo id confidentius affirmaſſet , ſi in *Papianum* eidem ſimilem incidiſſet. At Papius, inquiunt, ex vulnere in praelio accepto Aeſerniae occubuit, antequam Samnitibus pax & civitas data a Romanis foret. Quaero unde id habeant? Ex Appiano dicent , qui *Trebatium* ſequenti anno bellum contra Romanos adminiſtraſse narrat (Bel. Civ. lib. I. p. 380.) : At ego Trebatium Imperatorem Samniticum fuiſse, Appiano id affirmanti credo; Papium ex accepto vulnere obiiſse, quod eo anno, qui annus illius vulnus proxime excepit , Trebatius Samnitium Imperator fuerit, legitime concluſum nego. Quid ſi *Imperator* apud Samnites annuus magiſtratus fuit, qui ſemel, iterum, atque iterum uni eidemque uti apud Romanos conſulatus , conferretur . Quid ſi aegrotantis in locum ſuffectus Trebatius fuit, donec Papius convaleſceret? Quid ſi tandem Papius ille, cujus nomine numi illi inſcripti ſunt, ſuperioris Aeſerniae mortui filius fuit, qui poſt Trebatium Samnitium Reipublicae praefuerit, quove imperante Romanos inter , & Samnites pax coaluit , atque his civitas data tamdem eſt ? Conjecturam hanc

hanc firmare mihi videtur prioris numi inſcriptio, quae Papium *Cai* filium appellat, ut recte Oliverius vidit.

XIII. Sed his quae ad Samnitium numos pertinent omiſſis, quid de romanis, Minervae, & Equi capita praeſeferentibus ſtatuendum, ſit libere dicamus. Ex eorum igitur genere eſse illos arbitror, qui *Miſſiles* & *Sigillares* nuncupari ſolent, quique Saturnalibus aliiſque ludis, vel ſpargi conſuerant; vel amicis amoris, & benevolentiae cauſa mittebantur, quod ab Auguſto factum Svetonius memorat (V. Aug. n. 75.): *Saturnalibus, & ſi quando alias libuiſſet modo munera dividebat, veſtes, aurum, argentum: modo numos omnis notae, etiam veteres, regios, & peregrinos*: In hanc me ſententiam facile impellit tum numorum ipſorum artificium, qui aliis plerumque elegantiores eſse ſolent: tum quod nulla iidem nota ſignati ſint, ex iis, quibus aerea romanorum moneta, vel florente Republica vel Auguſtis imperantibus ſignari conſueverat; ex qua nota eos in commercia diſtractos, & pecuniae loco fuiſse appareat. Hinc numos iſtiuſmodi, qui Minervam exhibent *Quinquatribus*, quas huic deae ſacras fuiſ-

ſe, & pueri ſciunt, tribuendos cenſeo. Quinquatribus mutuis ſe donis matronae munerabantur, atque huc illa Periplectomenis apud Plautum (Mil. Act. III. ſc. I. v. 96.), referri ſolent

„ Da mihi vir Kalendis meam quod
„ matrem juverit
„ Da quod dem Quinquatribus
„ Praecantatrici, Conjectrici, Ario-
„ lae, Haruſpicae.

Iiſdem Quinquatribus *Minerval* magiſtris diſcipulos perſolviſse lego. *Quis Ludimagiſter inquit Tertullianus* (de Idol. c. 10.), *ſine tabula ſeptem idolorum, Quinquatria tamen non frequentabit? Ipſam primam novi diſcipuli ſtipem Minervae & honori, & nomini conſecrat*: Quae conjecturam hanc noſtram mirifice confirmant. Neque vero temere hiſce in numis Minervae, & Equi caput inſculptum: nam Minervam Ἵππιαν, & Δαμιππον coluiſse veteres, ſatis novimus, Pindari, Phornuti, & Pauſaniae teſtimonio. *Equeſtri* Minervae aram a Bellerophonte erectam refert Pindarus (Olymp. od. 13. Vid. Phornut. de Nat. Deor. c. 20. Pauſ. lib. I. c. 30. 31. lib. V. c. 15. lib. VIII. c. 46.).

Θε-

θεμεν ιππεια Βωμον ευθυς Αθανα.
„ *Extruere Equeſtri Aram ſtatim Mi-*
„ *nervae*.

Eidemque apud Argivos ſacros fuiſse *Equos* teſtis eſt Callimachus (Hym.inLav.Pal.v 2.).

..... ταν ιππων ἀρτι φρυασσομέναν
ταν ιεραν εσακυσα.
„ *Equas modo hinnientes*
Sacras audivi.

Minervam Equeſtrem in Hadriani numo a Cretenſibus percuſso, Harduino non improbante, videre ſibi viſus eſt Patinus (num. Imp. p.204.Vid.Harduin. num. pop.T.γορτ.) At ego neutri ſubſcribam; Minervam nullo διακριτικῳ charactere effictam non facile credo. Virilem figuram, in muliebrem effigiem, vel ſcalptoris vitium, vel pictoris imperitia commutavit. Nullus dubito, quin heroem *Gortyem* Gortyniae conditorem, ut refert Stephanus (V. γορτων) Cretenſis artifex illic expreſserit. Ιππειαν autem Minervam, ſi quem cura haec mordet, exhibet gemma Aſtrifera apud Gorium, quem conſulet qui volet. Eodem porro pacto, quo Minervae numos ad *Quinquatria* retulimus, ſi qui ejuſdem ſint generis, qui Saturnum, & Apollinem referant, priores *Saturnalibus*, poſteriores

res vero *Apollinaribus* ludis vel diſperſos vel amicis dono datos , me auctore ſtatuere poteris . Ad *Homalum* tandem revertor .

XIV. Oraculi juſsu Temnum , ab *Homalo* conditam refert Stephanus , ut vidimus , ex veteri ſcilicet more , quo ſi quid gravius agendum foret , ne diis invitis ageretur , oraculum poſcebatur . At quodnam oraculum *Homalus* adierit , nec refert Stephanus , nec divinari facile poteſt . Si Spanhemium audis , *Delphici* Oraculi juſſu condita *Temnus* fuit : cenſet enim vir doctus (in Callim. p. 79.) graecarum urbium conditores coloniarumque deductores *Delphicum* oraculum prius conſuluiſse , cujus rei cauſa Apollo , & *Philopolis* , & *Archegetas* dictus fuerit : eademque Julianus Auguſtus ſcripſerit (Or. IV. p. 152.) ; Apollinem *graecis coloniis frequentatis maximam orbis preſentem mitiorem ad cultum* compoſuiſse ; & Plutarchus inter ingentia *Delphici* oraculi beneficia , humanum in genus collata urbium extructionem retulerit (de Or. Del. p. 434.) . Nullibi frequentius , quam Delphis Phoebi oracula Urbium conditores ſciſcitatos fuiſse , Spanhemio facile aſsentior : nolim

ta-

tamen hunc veluti *Canonem* conſtitui: quae auſpicato urbes conditae, aut coloniae deductae ſunt, eae Delphici oraculi auſpiciis conditae, & deductae: intercedent Tullius, & Celſus, ac nullas hac in re *Dodonaei*, atque *Hammonici* oraculi partes fuiſse negabunt. *Quae Pythia*, inquit Celſus (ap. Orig. lib. VII. c. eumd. n. 3. p. 695.), *Dodonides, Clarius, Branchides, Hammon ſexcentique alii vates pronunciarunt oracula, pro nihilo habent, quamvis eorum ductu factum eſſe videatur, ut in totum orbem coloniae migrarent.* Celſo antiquior Tullius, *quam vero*, inquit, (de Div. lib. I. n. 3.) *Graecia coloniam miſit in Aetoliam, Joniam, Aſiam, Siciliam, Italiam, ſine* Pythio, aut Dodonaeo, aut Hammonis oraculo? Haec Spanhemium, qui eadem loca protulit, non animadvertiſse, equidem miror. Duo tamen ſunt, quae perſuadere fortaſse poſſint *Temnum* juſsu Apollinis & illius auſpiciis conditam: Alterum, quod Apollini apud Branchidas Mileſio in agro Oraculum eſset Aeolibus, Jonibuſque commune, ut teſtatur Herodotus (lib. I. n. 157.): *Cumaei vero conſilio inito ſtatuerunt ad Deum apud Branchidas referendum quid facto opus eſſet.*

Erat

Erat enim illic oraculum pervetuſtum, quo Aeoles, Joneſque communiter uti conſueverant. Oraculum hoc in Mileſio agro eſt ſitum ad Panormum agrum: Alterum, quod prope Temnum inſignis foret Apollinis cognomento Κυνιε cultus, cujus delubrum a Pruſia Bithyniae Rege vaſtatum, atque incenſum narrat Polybius Valeſianus (excerpt. p. 170.). Adde quod oraculum apud Graecos de Apollinis Vaticinio κατ' ἐξοχὴν uſurpatum fuit, ſi vera ſcribit Martinius (Lex. V. Oraculum). At hoc idoneo ſine teſte nec negare audeo, nec affirmare: Priorum autoritate commoverer, obſcura tamen in re *amplius* pronunciabo.

Ca-

xıI· ΔΗΜΟΣ Caput juvenile ; urbis ſe genius .

)(ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΤΩΝ. Figura ſtolata, & palliata , d. longam haſtam , ſin. extenta ..... Caput galeane an tutulo tectum ſit , non ſatis apparet .

Numus Aer. III. apud Cl. V. Cajet. Marinum.

Dionyſopoles quinque enumerat Stephanus „ *Dionyſi urbs juxta Pontum .... Secunda Phrygiae , opus Attali , & Eumenis , qui ſtatuam Dionyſi circa illa loca invenere : tertia Indiae : quarta Lybiae : quinta Thraciae* „ . At tres tantum fuiſſe multo probabilius : *prima* enim , & *quinta* una eademque urbs eſt , ut Pinedus aliique animadvertunt Plinii auctoritate (l. 4. c. 11.) „ *Namque Thracia altero latere a pontico littore incipiens , ubi Iſter amnis immergitur .... pulcherrimas in ea parte urbes habet .... Dionyſopolim Crunos antea dictam* . „ Lybicam quaſi loco motam a nemine inveniri poſſe ait Euſtathius apud Berchelium . Dionyſopoli Phrigiae numum hunc tribuo ; vox enim illa Δημος in Aſianis numis quam ſaepiſſime occurrit : in Thraciis vero vidiſſe me numquam memini .

Aver-

Averſae partis *typo* Bacchum exhiberi ſuſpicatus fueram, extat enim apud Panelium *de Ciſtophoris* (p. 39.) hujuſce urbis numus in quo Bacchus viſitur muliebri habitu thyrſum, & botrum tenens: at caput galea vel tutulo tectum quominus in hanc ſententiam deſcendam prohibet.

XIII. Caput Apollinis.

)(ΘΟΥΡΙΩΝ. Diana gradiens d. facem S. Venabulum humero impoſitum, ad pedes canis.

Numus priori ſimilis apud eumdem.

THurium Magnae Graeciae oppidum, quod antea *Sibaris*, poſtea a Romanis *Copia* dictum fertur, a fonte prope quem conditum, nomen ſortitum fuiſſe Strabo, Diodorus aliique tradiderunt ,, *Thurium fontem* inquit Barrius (de ſit. Cal. lib. v.), *a quo nomen mutuati ſunt*, *venerantes Thurii*, *nummis ſub imagine Tauri effingebant*: *ſicut Sybaritae eorum majores Sybarim fluvium ſub imagine Tauri effingebant* ,, At haec Graecorum commenta eſſe cenſet Mazzochius, & de *Tauro* in Thuriorum numis ſculpto longe aliter philoſophatur. ,, *Hebraicum* Shor *bovem*

vem ſignificat , *a cujus plurali* Shevarim *boves*, *tantum* V conſono de more oium gentium in B *ejuſdem organi permutato*, *ſit* Sybaris; *in quo proinde vocabulo* Tauri *notionem periti linguarum Orientalium deprehendunt* . *Ab Hebraico* Shor *fluxit Chaldaeorum* Thor , *quippe his familiare fuit* Sin *hebraicum*, *cum litera* Tau commutare, *quod Chaldaeis* Taurum *notat* : *a quo* Thor, Θουριοι *derivantur* , *eodem plane* , *quo Sybaritae ſignificatu* , *unde in nummis ſpeciem Tauri expreſſerunt* ,, Haec vir doctus (ad Tab. Her.) ; quae qui volet , accipiet : plures erunt , ni fallor, qui *Lampionem* & *Xenocratem*, quibus auctoribus, *Thurium* aedificatum eſt Olympiade LXXXIII , vel ſequenti, de Chaldaea voce, ne ſomniando quidem cogitaſſe, facile credent.

Apollinem , & Dianam a *Thuriis* cultos fuiſſe numus hic oſtendit. Diana φωσφορος, δαδουχος &c. nemini non nota; plures hujuſce rei cauſas Mythologi afferre ſolent. Venatrici ſane deae *faces* non temere datae : nam & venationes quaſdam ſub Veſperum peractas docet Oppianus (Cyneg. v. 134.) ; atque a Bonaroto animadverſum jam fuit.

Ca-

XIV. Caput Jovis diademate cinctum.

)(ΚΛΑΖοΜΗΝΙΩΝ. ΕΡΜΗΣΙΛΟΧΟΣ. Avis cum incuſa nota pedem referente.

Numus Aer. III. apud eumdem.

Clazomene maritima Joniae urbs, de qua Pauſanias (lib. VII. c. 3.) ,, *condiderunt in continente Clazomenas urbem, in inſulam vero trajecerunt ob metum a Perſis: Alexander autem Philippi poſtea Clazomenas peninſulam fecit, aggere a continente ad inſulam* ,, Urbis conditores Ionum pars fuit, qui prius ad Idam montem conſederant; tum *Scypium* in Colophoniorum finibus condiderant; hinc etiam migrantes in eo tandem loco conſederunt, ubi eſt Clazomene.

Avis, quae averſa in parte viſitur, Jovis ales fortaſse eſt, neque enim ſatis licuit diſtinguere: favet conjecturae Deorum regis caput in altera parte ſculptum. Incuſâ notâ numi pretium auctum deſignari, in Graecorum praeſertim numis, doctorum virorum opinio eſt, quae tuto recipi, & ſine periculo repudiari poteſt.

Ερμησιλοχος Clazomeniorum magiſtratus eſt, qui aliis in numis Στρατηγος dici

ci ſolet : recte ſane, ut enim Dionis auctoritate ſtatuunt viri docti, earum urbium, quae in provinciis populi Romani ſubditis erant, cujuſmodi Ionia fuit, magiſtratus Στρατηγοι, Αρχοντες, aut Γραμματεις dicebantur : contra vero urbes provinciarum, quae Imperatori ceſſerant, magiſtratus ſuos Ηγεμονας, & Πρεσβευτας appellabant. Turbat tamen hanc regulam canonemque Claudii numus apud Harduinum, in quo legitur επι Ηγεμονος Ασκλεπιαδȣ Κλαζομενων: videant, qui canones hoſce regulaſve facile ſtatuunt ac figunt.

XV. Caput Turritum.

)(ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Mulier Stans d. gubernaculum ſin. Cornucopiae; in Area Δ Κ.

Num. Aer. II. apud eumdem.

AD annum XXIV. Laodicenorum litteras illas Δ Κ refero, qui annus exiit autumno anni urbis conditae 730. ſiquidem Laodiceni Caeſariana aera utebantur, quae ab anno V. C. 706. exordiebatur.

Laodiceam ab *Julia* Auguſti uxore *Ju-*

lio nomine donatam ſcripſerat Harduinus (Num. pop.): docti viri errorem vidit Noriſius, & feliciter confutavit, prolato ejuſdem urbis numo cum anno aerae XLVII. V. C. 752., quo anno *Livia* nondum *Juliae* nomen adepta fuerat. Harduini errorem, & Noriſii emendationem noſter hic numus confirmat.

xvI. Caput Martis.

)(PHΓΙΝΩΝ. Minerva Stans d. Victoriolam ſin. haſtam tenet, ad pedes clypeus, ad oram numi fulmen, in Area II.

Num. Aer. III. apud eumdem.

MArtem & Minervam cum victoria & clypeo in Reginorum numis expreſſos teſtatur Barrius (de ſit. Cal. lib. III.); at nullus, quod equidem ſciam, ſimilem numum hactenus vulgavit; gratior proinde hic noſter, quem nunc primum proferimus.

Minervae potentiam, ex victoria perpetua dignoſci tradit Ariſtides (Or. in Miner.) „ *ſiquidem non Minervae Victoria eſt domina; ſed victoriae ſemper Minerva* „ Multa de Minerva Victoria mythologi,

gi, & veterum numorum interpretes. Vereor tamen ut *Minerva νικη*, quae Athenis colebatur, eadem ſit ac *Minerva Nicephora*, quemadmodum Harduino perſuaſum fuiſſe video. Dubitandi locum praebet *Minervae νικῆς* ſtatua in Acropoli poſita, quae dextra malum punicum, ſiniſtra galeam tenebat, ſi vera narrat Aeliodorus, atque ex eo Harpocration, & Suidas. Αϑηνας Νικης templum apud Megarenſes fuiſſe refert Pauſanias (lib. 1. c. 42.); at quo pacto Dea expreſſa foret, ſi bene memini, non docet. Non male fortaſſe Kuſterus ex Sophoclis ſcholiaſte Νικην Αϑηναν eamdem eſſe, quae Πολιας, & Πολιυχος dicebatur, cenſuit. Cur vero Νικη dicta ſit Minerva habes ex Euſtathio apud Harduinum (Num. pop.) „ *Jupiter quum Minervam in lucem ederet*, *Victoriam de Titanibus retulit*; *idcirco & Victoria Pallas appellata eſt*. „ Aſt aliam hujuſce nominis cauſam affert Etymologus apud Meurſium (Lect. Attic. c. 20.), ubi pluribus de hac Dea idem diſputat.

Fulmen in numo ſculptum ad Minervam ſpectare facile credo, cui fulminum mittendorum poteſtatem fuiſſe, nemini non notum. Littera Π in alio Reginorum

numo apud Arrigonium occurrit. Novi ſane hujuſmodi litteras ad Monetarios, vel eorum officinas referri plerumque ſolere: at non caſu fortaſſe factum, ut eadem littera in Reginis numis, & in iis, qui ad *Mamertinos Brutios* pertinent, ſculpta ſit: frequens enim horum in aere haec littera; quid porro ſibi velit non aſſequor.

Peplo, quo in aliis ornatur, caret noſtro hoc in numo Minerva; neque enim Fontenuaeo aſſentior, qui *Iliadis Minervae* numum illuſtrans, longam illam, ac pellucidam tunicam, qua Dea induta viſitur, quaeque, ut expeditior inceſſus habeatur, nodo a tergo colligitur, hunc Minervae peplum eſſe non dubitanter affirmat. „ *A cette deſcription on reconnoit le Peplum de Minerve habillement ſi celebre dans les poetes, & dans les Mythologues. Car 1. le peplum etoit un vetement juſques aux talons*, veſtis talaris, *ou comme l'appelle Euripide* ποδήρης, *& Eſchile* ποδιστήρ. 2. *le peplum etoit d'une etoffe tres-fine, & tres-legere, il etoit ſans manches; enfin ordinairement il etoit attaché avec une ceinture: or telle eſt icy la robe de Minerve* „ (Acc. Inſ. Tom. v.): Haec ille invita prorſus, atque indignante Minerva.

Nam

Nam illud primum non ακριβως, Minervae peplum de quo poëtae multa, multa Mythologi fabulantur, illum eſſe, quo amicta in numis cernitur, quemque eidem tribuunt poëtae ſcriptoreſque alii, quoties humana eam forma deſcribunt; quod longe ſecus eſt. Peplus quippe a poëtis, & Mythologis celebratus, ille eſt, quem majoribus Panathenaeis ſolemni pompa Minervae Athenienſes offerebant. Alter vero non alius fuit, quam veſtis illa, qua honeſtiores matronae uti conſueverant, quum in publicum prodirent. Sed & illud non minus απαιδεύτως, quod muliebrem peplum tunicae genus eſſe pro certo ſtatuat; atqui incertum adhuc id, & controverſum, atque adeo, ſi quid video, falſiſſimum.

Ultro equidem docto viro concedam, peplum tenuiſſimum veſtimenti genus fuiſſe, quod non modo ad talos deſcenderet, ſed longo etiam traheretur ſyrmate, ut nodo colligendum, aut alio pacto ſublevandum eſſet, ne gradienti impedimento foret: hinc Τανυπεπλοι, & Ελκεσιπεπλοι mulieres dictae, uti apud Homerum (Il. III. 244. Od. IV. 305. V. 363. I.) *Helena*, *Lampetia*, *&* *Ctymena*; apud Muſeum (v. 286.) *Hero*. Ultro haec, inquam,

viro docto damus; at non illud aeque tribuimus tunicam illam, qua Minerva induitur, *peplum* dici *proprie*, *vereque* appellari poſſe. Ac primum licet *peplum* viris quandoque tribuant ſcriptores graeci, quos audiri hic tantum volo, Aeſchylus, Sophocles, Ariſtophanes (Aeſch. Xer.199. Soph. Trach. 768. Ariſt. Achar. &c.) Theocritus, Muſeus; peplum inquam a mulieribus praecipue uſurpatum eſt; quo circa θηλεα πεπλεα dixit Nonnus (Dionyſ. XIV. 394.) & θηλυν πεπλον Lycophron (in Alex.277.). At quodnam veſtis genus eſſet, *interiorne*, atque ex iis, quae induuntur, uti *tunica*, *ſtola &c.*, an vero *exterior*, ex iis ſcilicet, quibus amicimur, uti *pallium*, *chlamys &c.* hoc enim vero incertum adhuc, & controverſum.

Qui *Tunicam* fuiſſe peplum exiſtimant, hi duplici Euſtathii teſtimonio inniti mihi videntur, quorum primum (in Il.V. v.734.) ſic habet „ *& hic etiam peplus tunica muliebris, quam minime certo induebant, ſed fibula conſtringebant* „ poſterius vero (in Od. XVIII. 292.) hujuſmodi eſt „ *videtur potius peplus eſſe veſtimentum muliebre, qualia ſunt dorica, apertum ſolum a parte anteriori, & propterea multis fibu-*

fibulis indigens,, vereor tamen, ut haec ſatis id efficiant, quod docti viri contendunt. Ac priori quidem loco negat diſerte Euſtathius peplum a mulieribus indutum, *ου ϰκ ενεδυοντο*, quo ſane interiorem veſtem, atque adeo *tunicam* vere eſſe peplum negat; altero vero ſatis apparet timide ille & dubitanter loqui, nihil pro certo affirmans aut definiens, utpote qui rem non ſatis perſpectam, & cognitam haberet. Peplo fibulas tribuebat eo loci Homerus, mirum id Euſtathio viſum, quum Peplus quorumdam ſententia,, *magnum, pulcrum, & variegatum pallium eſſet, ſiniſtrum humerum tegens, & ante & pone adducens duas oras in dextrum latus, nudas relinquens dextram manum, & humerum*,, Haec, quae pugnantia videbantur, ut componeret, eo deſcendit Euſtathius, ut muliebri tunicae peplum non abſimilem exiſtimaret,, *ſi vero*, inquit, *ita ſe res habet, cur duodecim fibulis opus habet, quum ſit forma chlamydis? videtur potius &c.*,, at non erat cur magno illo fibularum numero perturbaretur Homeri ſcholiaſtes, quas ego ad ornatum, non ad uſum fuiſſe ſuſpicor.

Neque vero neſcius ſum Graecorum

ſcriptores peplum pro *tunica* quandoque uſurpaſſe, cum *virili*, uti Sophocles & Muſeus, tum etiam *muliebri*: atque ut alios omittam, hac ſignificatione πεπλον adhibet non uno in loco Euripides in Hecuba v. 558., in Electra v. 1266., in Andromacha v. 598. at γενικῶς, immo potius καταχρηςικως vocem hanc uſurpat tragicus, aliique recentiores Homero ſcriptores. Mirum ſane quum toties apud Homerum de *tunicis* aliiſque interioribus veſtibus ſermo ſit, nuſquam hac voce poëtarum omnium maximum uſum fuiſſe, qui tamen curruum urnarumque velamina, ſediliumque ſtragula πεπλȣς dixit. (Vid. Il. V. 194. xxiv. 796. Od. vii. 96.).

Illa igitur longe mihi probabilior opinio videri ſolet, quam Ferrarius, & Veithius, & Montfalconius aliique amplexi ſunt, *Peplum* exterius indumentum fuiſſe, quod aliis veſtibus ſuperimponeretur. Habent quibus ſe tueantur perſpicua, graviſſimaque veterum teſtimonia, quae contrarium in ſenſum detorqueri nullo pacto queant. Atque ut antiquiſſima in medium proferam, Minerva apud Homerum (Il. V. 734.) ad bellum profectura, ut loricam induat, peplum deponit: „ Au-

,, Αυταρ Αϑηναιη κȣρη Διος αιγιοχοιο
,, Πεπλον μεν κατεχευεν εανον πα-
,, τρος επ᾽ ουδει .
,, *At Minerva filia Jovis aegiochi*
,, *Peplum defluere ſivit pulchrum pa-*
,, *tris ſuper pavimentum .*

Nudo ſuper corpore loricam a Minerva induram nemo dicet opinor, dicentem tot profecto refellerent, quotquot extant armatae Palladis monumenta . Neque vero praetermittenda Didymi Homeri ſcholiaſtis in hunc locum animadverſio, qui ex verbo καταχεω, *peplum* veſtimenti genus fuiſſe colligit, quod non induerent, ſed circumdarent fibuliſque conſtringerent, quibus ſolutis deſideret . *Fibulis* enim vero peplum conſtrictum non ſemel fuiſſe ex ejuſdem Homeri, Callimachi aliorumque veterum ſcriptorum teſtimonio jamdiu obſervatum eſt : quo vero pacto, quave de cauſa fibulis conſtringeretur, infra fortaſſe obſervabo : nunc reliqua proſequamur, atque Homerum iterum producamus, qui (Il. V. 315.) Venerem *divini pepli* plicaturam Aeneae obtendiſſe ait, ut Ερκος Βελεων filio foret, quod ſane tunica, ſive alio quovis interiori indumento fieri nequaquam poterat, pallio autem, ſeu chlamy-

myde commodiſſime. (Vid. & v.338.) Homero Moſchum addo de Europa ſic ſcribentem (v. 125.)

„ Κολπωθη δ' ωμοισι πεπλος βαθυς
„ Εὐρωπειης
„ Ἱςιον οἷα τε νηος, ἐλαφριζεσκε δὲ
„ κουρην.
„ *Sinuabatur autem in humeris Pe-*
„ *plus amplus Europae*
„ *Ceu velum navis, atque allevabat*
„ *puellam.*

Moſchum Xenophon excipiet, qui (Cyrop. V. c. 1. n. 3.) haec de Panthea narrat „ *id ubi mulier audivit, dilacerato deſuper peplo,* (ανωθεν πεπλον) *coepit ejulari .... atque hic jam maxima ex parte facies apparuit, & collum, & manus apparuerunt* „ Profecto ſi tunicae genus fuiſſet *Peplus* Pantheae faciem & manus non occultaſſet. Haec ſane, &, quae proferri facile poſſent, alia bene multa, *peplum* a Suida recte definitum oſtendunt, quum ait πεπλον *amiculum eſſe* περιβολαιον, ex verbo nimirum περιβαλλω *circumdo*.

Media inter utramque Eubenii opinio, cui peplus mixtum erat ex pallio & tunica veſtimentum, quod Polluce auctore tunicae, & pallii uſum praeſtaret „ *etenim,*

enim , inquit (lib. 1. de R. Veſt. c. 20.) , *erat tunica fibulatoria* , *quam foeminae illuſtres ſumebant* , *quando in publicum prodibant* , *&* *fibulis ad pectus conſtringebant* , *deinde aliud amiculum ſuperinjiciebant* ,, Non contemnenda ſane Pollucis auctoritas foret , niſi opinionis hujus fundus Xenophontis locus eſſet perperam intellectus . Pollux ſiquidem (lib. VIII. c. XIII. §. 51) de peplo diſſerens duplicem illius uſum fuiſſe docet nimirum ,, *ad induendum* , *&* *ad amiciendum* ..... , *&* *quod amiculum ſit* , *ex Minervae peplis conjici poteſt* , *quod autem tunica* , *ex illo Xenophontis probatur* , tunc & pectus &c. ,, Xenophontis locus , quem hic Pollux reſpicit , ille idem eſt , quem ſuperius recitavimus , cujus ſenſum Pollux neutiquam aſsecutus eſt . Nam Pantheae *peplus* , non pectus modo , ſed & faciem , & collum , & manus tegebat , quod ſane tunica praeſtare nequaquam poterat , idque a Ferrario recte animadverſum eſt : at illud non recte , quod eo loci tunicam *generica voce peplum appellatum* , *prout omnem veſtem ſignificat* . Nam etſi factum aliquando ſit , ut paulo ante dixiſse memini , factum ſane a Xenophonte eo loci neutiquam eſt .

Jun-

Jungermannus Pollucem, quo Peplum tunicae uſum praeſtaſse oſtenderet, illa παραφαίνει .... τα ςερνα, quae apud Xenophontem non extant, de ſuo adjeciſse exiſtimat: non hujus ego criminis Pollucem accuſabo. Apud Xenophontem in vetuſtioribus ejuſdem exemplaribus τα ςερνα a Polluce lecta fortaſse non contradicam; at illud perperam ex eo loco concluſum, ſtatuo, tunicam fuiſse peplum, quod hoc diſciſso Pantheae pectus apparuerit: Nam quum *Peplus* ad fauces fibulis quandoque conſtringeretur, eo diſciſso, vel diſsoluto apparere pectus potuit, quod laxior ſuperiori in parte eſset tunica.

Verum enim vero licet peplus καταχρηςικως pro qualibet veſte ab auctoribus uſurpatus aliquando fuerit, non inde inferre licet, matronales peplos proprie tunicas fuiſse, atque hoc nomine Palladis tunicam donandam eſse, quod a Fontenuaeo factum eſt. Contrarium diſerte oſtendunt Iliadis loca, quae protulimus. Sed antequam, quae eſset muliebris pepli formam doceam, de illo pauca dicam, quem majoribus Panathenaeis ſolemni pompa Athenienſes Minervae offerebant. Atque ut paulo altius exordiar, *Peplum* Deabus cum

pri-

privatim tum publice offerri conſueviſse norunt qui a poëtarum aliorumque Graecorum, praeſertim ſcriptis non abhorrent. Hecuba Hectoris hortatu Minervae peplum offert apud Homerum (Il. VI. 290. 303.). Minervae Alaeae Peplum a Laodice dono datum atque hoc carmine inſcriptum

„ *Laodices peplum ſacrum ut foret*
„ *illa Minervae*
„ *E Cypro celebrem tranſtulit in pa-*
„ *triam*,

narrat Pauſanias (lib. VIII. c. 5.). Junoni Scylluntinae, quinto quoque anno peplum matronae ſexdecim offerebant, ut idem auctor eſt Pauſanias (lib. V. c. 16.): qui alias refert (lib. II. c. 17.) eidem Iunoni purpureum peplum a Nerone oblatum. Cereri peplum tribuit Theocritus (Idil. VII. v. 32.); aliis etiam deabus dicatum innuit Aeſchyli Scholiaſtes „ *Peplos offerebant & illis ſimulacra veſtiebant* „ ubi Deorum ſimulacra peplis amicta videmus; quin non amicta modo, ſed involuta etiam, ne a viris licet invitis conſpicerentur, obſervavit Spanhemius (not. ad Callim. p. 589.) „ *praecipue de Palladio quotieſcumque foras educendum eſſet, proſpiciebatur, ut peplis involutum eſſet, quod ne-*

nefas erat detegere: quomodo de Palladio Minervae Saitidos, cujus peplum nemo mortalium detraxerat, ſcribit Plutarchus lib. de Iſide p. 354. „

At nulla Pepli oblatio poëtarum carminibus, & Mythologorum ſermonibus celebrata magis, quam quae, ut dixi, magnis in Panathenaeis fieri conſueverat. Huic peplo texendo Virgines quatuor delectae, quae εργαςιναι appellatae ſunt, ut ait Heſychius, Εργαςιναι αι τον πεπλον υφαινȣσαι: ordiebantur xxx. Pyanepſionis die, qua τα χαλκεια celebrabantur: praeerant vero iis duae aliae Virgines αρρηφοροι nuncupatae „ *quatuor Virgines*, inquit Suidas, *nobiles deſignabantur, quae in feſto Minervae arcana ſacra in ciſtis ferrent: duae autem eligebantur, quae texturae pepli aliiſque eo pertinentibus praeeſſent. Hae veſtem candidam geſtabant, & ſi auro ſe ornabant, id ſacrum erat* „ Eo in peplo praeclara Minervae facta, relataeque de gigantibus victoriae depictae, ut teſtatur Euripidis ſcholiaſtes in Hecub. „ *mos erat Athenis*, inquit, *ut Virgines texerent Minervae peplum habentem egregia facta deae, quae bellatrix geſſit, & quae contra gigantes egit cum Jove* „ Ex gigan-

gantibus porro Enceladus potiſſimum depictus in peplo fuit ,, *inſcribebatur quoque in eo Enceladus*, *quem occidit Minerva* , *erat autem unus e gigantibus* ,, inquit Scholiaſtes Ariſtophanis (in Equ. Vid. & Virg. in Ceiri) .

Qualis porro foret pepli hujus forma , & quae veſtis, ſatis apud auctores controverſum : ſic de eo Suidas . ,, *Apud Athenienſes peplus proprie dicebatur velum* , *τό αρμενον* , *navis Panathenaicae* , *quam Athenienſes quarto quoque anno inſtituebant Minervae* ,, at quum *Panathenaicam* navim audis, non aliud intelliges, inquit Potterus ,, *quam machinamentum navis ſpeciem referens in horum feſtorum dierum uſum deſtinatum* , *cui veli inſtar Peplus appendebatur* ; *tota autem moles non a jumentis* , *prout nonnulli opinantur* , *ſed ope machinarum* , *quae ſubter terram movebantur ad templum Cereris Eleuſinae vehebatur* , *indeque in arcem iterum* ,,

Velum dicitur peplus a Virgilio in Ceiri

,, *Tale deae velum ſolemni in tem-*
,, *pore ponunt* ,,

Cave tamen credas peplum vexillum fuiſſe : ,, *ipſus Minervae peplus fuit* , *ex ejus templo* , *in quo religioſiſſime ſervabatur* ,

tur, *depromptus*, *quo tamdiu Minervae ſtatua carere debuit*, *aut viliori contenta eſſe*, *donec ex pompa capiti*, *&* *humeris ejus redderetur ſummo cum honore*, *&* *reverentia* ,, inquit Sperlingius (ep. ad Cuper. T. IV. AA. Pol.) : Suidae acceſſit Meurſius ; Sperlingii vero opinionem partim amplexus eſt,partim rejecit Cuperus (l.c.). ,, *recte mones*, inquit, *peplum non fuiſſe vexillum*, *nec illud ego unquam affirmavi* ... *nam quod vel peplus ad inſtar veli navis malo appenderetur*, *illam interpretationem rejiceret* ,, Haec cum Sperlingio Cuperus ; contra illum vero duo ſunt, quae ſtatuat, *primum* ſingulis majoribus Panathenaeis novum peplum textum fuiſſe ,, *neque enim Athenienſes*, inquit, *decernere potuiſſent*, *ut Antigonus & Demetrius peplo inſtriberentur*, *uti tradit Plutarchus*, *quum procul dubio dii*, *&* *res a Minerva factae*, *atque adeo viri fortes*, *veterem peplum totum occuparent* ,, nam & hos eidem intextos tradit Servius ad I. Aeneid. ,, *peplum Minervae conſecratum erat*, *&* *in hoc depingebantur*, *ex more apud Athenienſes*, *qui ſtrenue ſeſe in bello geſſiſſent* ,, quae a Cupero recte animadverſa, ultro aſſentior ; confirmantque, quae de

de Virginibus pepli textricibus nuper dicebamus. Alterum vero, quod Cuperus ſtatuebat, illud eſt, Minervae caput peplo tectum nequaquam fuiſſe „ *certe* επιβλημα *fuit*, *& procul dubio ex humeris ſtatuae dependebat: niſi velis ſtatuam illius deae in lecto roſis ſtrato collocatam fuiſſe, & illi pepulm injectum, quod ſubdubitabundus ſcribit Meurſius, & veluti rem certam neſcio quam vere tradit Potterus* „. At fortaſſe capiti ſuperimponi peplus potuit, επιβλημα licet foret, eo ferme pacto, quo Diana, & Iuno in veteribus quibuſdam numis amictae conſpiciuntur. His porro omiſſis, illud multo mihi veriſimilius, peplum, qui majoribus Panathenaeis Minervae offerebatur, ingentem veſtem quadratam fuiſſe, in qua Jovis aliorumque Deorum, ſed Minervae praecipue res geſtae inſcriptae, atque acu pictae erant, quod Cupero etiam viſum.

Non diſſimilis, ſi quid video, *Matronalis pepli* forma, oblongum ſcilicet velum, & quadratum fuiſſe exiſtimo; quod ſi fluens, & ſolutum deferretur, ad talos uſque deſcenderet. Non una porro pepli ferendi ratio: „ *Peplus ſiniſtrum tegebat humerum, duaſque oras in dextrum adductas*

G ſibu-

fibula connectebat, „ inquit Cuperus l. c., atque ante Cuperum Martianus Capella, innuerat : alias capiti impoſitum a tergo ad talos deſcendebat ; ita Iuno amicta in Samiorum numis ; ita *Helenam*, *Lampetiam* & *Ctymenam* peplum geſtaſſe arbitror, quas Homerus ταvυπεπλους, atque ελκεσιπεπλους appellat : alias humeros circumdabat, atque hinc inde ad brachia collectum, duas veluti alas efformans fluitabat. Hoc pacto, frequens occurrit Pallas in veterum numis. Alas haſce, Theſſalicas alas a Begero, & Geſnero vocatas invenio: rectene, an ſecus, non ſtatuam. Theſſalicam Chlamydem alas habuiſſe, ſeu potius Chlamydem Theſſalorum, *Theſſalicas alas* dictam fuiſſe, teſtatur Pollux (lib. VII. c. XIII. §. 46.) τας δε θετταλικας χλαμυδας θετταλικα πτερα ωνομαζον, και εντεθετταλισμεθα ελεγον το χλαμυδοφορουμεν: Eraſmus in Adagiis veſtes manicatas eas vocat, a Graecis χειροδοτους nuncupatas, quod hoc veſtium genere per luxum ad delicias uterentur Theſſali: unde apud Virgilium Trojanis inſultantes Rutuli,

„ *Et tunicae manicas & habent redimicula mitrae* „

Vereor tamen, ut hoc loco, quid *alae Theſ-*

Theſſalicae fuerint, aſſecutus ſit; Pollux quippe *Chlamydem*, non tunicam fuiſſe aperte tradit; Theſſalica autem Chlamys non rotunda, ut aliorum Graecorum, ſed quadrata fuiſſe perhibetur. Adde quod tunicarum alae alio ſenſu ab auctoribus accipi ſolent. Baifius eas tunicae partes fuiſſe putat, quae ante pedes deſcendebant, quae ſi conſutae non fuiſſent, nuda apparebant crura, uti ex Plutarcho colligit „ *pinnae Virginalis tunicae*, τȣ Παρθενικȣ χιτωνος αι πτερυγες, *non erant conſutae, ſed explicabantur, aperiebantque totum incedendo femur* „ (Vid. de R. Veſ. c.13.) Hoc tamen de Romanis foeminis nequaquam intelligendum recte monet Ferrarius (lib. III. c. 17.). Quid porro alae eſſent in veſtibus ſi a Ferrario poſtules „ *alae*, inquit (c. 41.) *ac pinnae*, *ſunt anguli veſtium*„ nimis profecto jejune. Quid Chlamydis, ſeu pepli alae eſſent, luculenter oſtendunt veteres numi Theſſalorum, qui primi e Graecis Chlamydem uſurpaſſe feruntur, in quibus ſcilicet numis Pallas inſcupta. Ex iis ni fallor ſatis diſcimus, alas nihil aliud fuiſſe, quam imas pepli partes, quae ex brachiis, ubi peplus colligebatur, deſcendebant: ita ut pars media, & in-

Digitized by Google

terior veſtis brevior foret , exterior , ac veluti latera hinc inde protenſa eſſent , atque alarum ſpecies efformare viderentur.

Sed ut ad matronarum peplum redeam, plures fuiſſe ſane oportuit , quibus grave moleſtumque ſic peplum brachiis collectum deferre , ut iis libere uti minime poſſent : hinc peplum capiti impoſitum fibulis ad fauces , atque ante pectus conſtringebant , ne diffluere poſſet . Hujuſmodi peplus ille , cujus meminit Homerus (Od. XVIII. 292.) , duodecim fibulis ornatus : Hoc etiam pacto , ni fallor , Panthea apud Xenophontem peplo tecta atque obvoluta . At nimis fortaſſe extra chorum , ad Reginorum numum revertor . Martis caput antica in parte ſculptum dixi ; illa nunc porro ſubit dubitatio , an non Minervae galeatae potius caput ſit ; facile id ſtatuerem , ſi numum ipſum inſpicere liceret ; at cum ille longiſſime abſit , rem incertam relinquam ; ſi caput illud imberbe eſt , uti ſuſpicor , Minervae tribuendum ſane erit .

Ca-

xvii. ΕΠΙ ΙΟΥΛΙΑΝΟϹ .... Caput Herculis.

)(ΥΠΑΙΠΗΝΩΝ. Aeſculapius velato capite, & pallio poſt tergum rejecto d. baculum tenet cui ſerpens obvolvitur.

Num. Aer. III. olim apud Praeſulem Ballerinium.

HYpaepa Lydiae urbs, quam ſemel iterumque parvam dixit Ovidius

„ *Nata domo parva, parvis habitabat Hypaepis* „

Ioniae tribuit Plinius (lib. v. c. 29.) cujus rei cauſas alias attigi.

Herculis & Aeſculapii cultum apud Hypaepenos alii eorum numi oſtendunt: neque vero diſplicet Herculis & Aeſculapii eodem in numo conſociatio. Nam medicinae operam dediſſe Herculem Chirone magiſtro veteres narrant, & de eo Plutarchus „ *dicitur quoque Hercules qui medicus erat, Alceſtim de cujus vita jam conclamatum erat, ſanaſſe in gratiam Admeti, qui uxorem diligebat, & cujus ipſe amore flagrabat* „. At illa numi hujus praecipua fortaſſe laus, quod Aeſculapium tecto opertoque capite exhibeat, quod aliis in numis vidiſſe me non memini.

XVIII.

Αυτ. Αι.Αδρ.Αντωνινος. Antonini Caput laureatum.

)(Αρτεμις ΑCΤΥΡΗΝΗ ΑΝΤΑΝΔΡιων.
Diana Epheſina.

Num. Aer. II. apud eumdem.

CUr Diana Aſtyrena in Antandriorum numis ſculpta ſit, docet Strabo (lib. XIII. p.613.). „ *Myſiae autem propinquum pagum Aſtyra dicunt, olim oppidum in cujus luco templum Aſtyrenae Dianae eſt, cui Antandrii religioſe praeſunt, quibus id eſt vicinius* „. His Scylacis Cariandenſis locum a Voſſio, & Palmerio tentatum ſanari tandem poſſe arbitror. Haec porro ait Scylax p. 88. *Ασυρα ȣ το ιερον οι Αδραμυτιον*: corruptum locum ſic Voſſius reſtituit: Αϛυρα ȣ το Ιερον Αρτεμιδος Αδραμυττιον: *Palmerius vero*: Αϛυρα ȣ το Ιερον οι Αδραμυττιοι. Αδραμυττιον &c. At ego nullus dubito, quin Scylax ſcripſerit Αϛυρα ȣ το Ιερον Αντανδριοι. Αδραμυττιον &c. Aſtyras Plinii aetate non amplius extitiſſe patet: ſiquidem eas inter urbes illas enumerat, quae in Aeolide ſeu Myſia interciderant. De Antandro diximus alio in loco.

Idem

XIX.
Αυτ. Και. Αιλ. Αδρι. Αντωνινος Σε. Ευσε .... Idem capite laureato.

)(ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Caput urbis turritum ſub mento ΘΣ, ad occiput in area ρΠϛ.

Num. Aer. II. apud Cl. Vir. Cajet. Marinum.

ULtimis hiſce ſiglis Laodicenorum annus CLXXXVI. deſignatur, qui autumno anni V. C. 891. iniit vulgaris Aerae 138.; quo Antoninus V. Kal. Mar. Hadriano ſucceſſerat: notanda porro illa numeri *Sexti* figura, quae an alibi reperiatur, ignoro.

XX. ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ. Caput Juliae Domnae.

)(ΨΩφιδιωΝ. Fluvius decumbens ſin. Urnae innixus d. ad frontem elata, a tergo arbos, infra piſces duo.

Num. Aer. II. olim apud Cl. Vir. Fabium Danzetam.

PSophidi Arcadiae urbi, quam Aroanius amnis praeterfluebat, & modico ab urbe ſpatio Erimanthus, numum hunc tribuo. Pſophidios Erymanthum magnum, & praecipitem amnem veneratos fuiſſe, te-

 ſtes

ſtes ſunt Pauſanias, & Aelianus, quorum hic a Pſophidiis Erymanthum virorum figura conſecratum ait (Var. Il. 33.); ille vero ejuſdem aedis meminit, (lib.VIII.24.) in qua praeter Dei ſtatuam nobilium amnium e candido marmore ſigna viſebantur, Nili tamen e nigro lapide erat.

Narrat Pauſanias Alcmaeonem Amphiarai filium Pſophide ſepultum, cujus circa tumulum Cupreſſus eo uſque creverant, ut eorum proceritate mons etiam „ qui Pſophidi imminet obumbraretur: eas, quod ſacrae Alcmaeoni eſſe putarentur, nequaquam a Pſophidiis cedi, & *Virgines* appellari. Ad has ego Cupreſſus arborem quae a tergo fluminis eſt, initio retuleram; at numo diligentius inſpecto, Cupreſſum nequaquam eſſe animadverti; quapropter eádem nemus aliquod ad fluminis fontes poſitum indicari cenſeo. Hos vero in *Lampea* monte fuiſſe idem Pauſanias refert.

Piſces in extrema numi parte poſiti piſcoſum fluvium ni fallor denotant: niſi ſi quis ad Aroanii *Poeciles*, quos vocales fuiſſe, Arcades fabulabantur teſte Pauſania, referre malit. „ *Piſces educat Aroanius, tum alios, tum eos, qui Poeciles appellantur. Hos haud abſimilem turdorum a-*

vium

vium voci ſonum fundere ajunt . ,, At id falſum experimento didiciſſe ſe idem narrat ; nam cum ad fluminis ripas uſque ad ſolis occaſum conſediſſet , quo maxime tempore tam grande portentum contingere Arcades ajebant , ſonum nullum audire potuit .

xxI·

M. ΟΠ. ΔΙΑΔΟΥΜ. ΑΝΤ ..... Diadumenianus capite nudo .

)(ΔΩΡΥ. ΝΑΥΑΡ. ΑΥΤΟΝ ..... Neptunus ſtans ſin. pede prorae navis impoſito , dextra piſcem ſin. tridentem tenet .

Num. Aer. II. olim apud Ballerinium .

ΔΩΡΥ. pro ΔΟΡΙ. nimirum Δωριτων , ſeu Δωριεων , utroque enim modo legitur apud veteres . Δωριτατων habet Pellerinii numus , at monetarii oſcitantia . *Dora* Phoeniciae urbs , de qua plura apud Noriſium (de Epoch. Syr. Mac.) . Ιερα in Trajani numo dicitur , in aliis vero ejuſdem Principis , & Hadriani , Ιερα , Ασυλος , Ναυαρχις , Αυτονομος : in noſtro Ναυαρχις dumtaxat , & Αυτονομος . Id non eo factum puto , quod duobus aliis titulis privata fuerit , ſed quod titulos hoſce pro ar-

arbitrio urbes ſumerent ſuis in numis. Animadverti enim *Corycum*, quae in Gordiani Pii numis Αυτονομος dicitur, in numo Valeriani, αυτονομια omiſſa, Ασυλον dici, & Ναυαρχιδα. Sic *Ephesus* quae Ιερα, Αυτονομος eſt in numo Veſpaſiani apud Goltzium, Ασυλος dumtaxat dicitur in numis Philippi filii. Sic *Nicopolis* Epirotica jam inde ab Auguſto Ιερα, in Plautillae numis Ιερα Ασυλος vocatur, in numis vero Alexandri Ιερα Ναυαρχις. Sic *Tyana* ad Taurum Ιερα, Ασυλος, Αυτονομος in numo Hadriani, Ιερα Ασυλος tantummodo dicitur in numo M. Aurelii. Sic *Tyrus* Ιερα Ασυλος in numo Demetrii II. Syriae Regis, Ιερα tantum eſt in numo Commodi. Plura proferre ſane poſſem hujuſce rei exempla, ſed haec ſatis, opinor, quod ſtatuebam, confirmant.

Dorienſium numi PompejanamEpocham, quae ab anno V. C. 691. exordiebatur, exhibere ſolent, at in noſtro numo detrita epigraphe,eadem deſideratur. Quum tamen Macrinus III. Non. Iun. V. C. 971. una cum Diadumeniano filio occiſus fuerit, ſuperiori vero an. V. C. 970. VI. id. Apr. Imperium uſurpaverit, numus hic noſter anno Dorienſis aerae 279., vel 280., cuſus ſit, oportet. Dei-

XXII



XXII.

✠ ΔΕCΠΟΙΝΑ CΩΖΟΙC Deipara velata manibus expanſis, in area $\overline{\text{MH}}$. $\overline{\text{ΘΥ}}$.

)(✠ ΕΥ .... ΜΟΝΟΜΑΧΟΝ. Imperator ſtans d. haſtam crucigeram, Siniſtram gladio in vagina poſito, & baltheo praecincto imponit.

Num. Argenteus II. apud Cl. Vir. Cajet. Marinum.

Conſtantini Monomachi nullum hactenus certum numum noveramus, quem enim ex Strada dederat Ducangius, Conſtantino Porphirogenito, ejuſque matri Zoe tribuit Bandurius; idque jure factum ſtatuit Liebeus. At neque aurei illi duo, quos

quos e Gothano Muſeo exhibet Liebeus, certum habent characterem, ex quo affirmare liceat ad *Monomachum* pertinere.

Hic igitur primus eſt *Monomachi* numus, quem illi eripere jure nemo poſſit. Una eſt numi inſcriptio duas in partes diſtracta, quam ſic lego ΔΕCΠΟΙΝΑ ΜΗΤΗΡ ΘΕΟΥ CΩΖΟΙC ΕΥσεβη ΜΟΝΟΜΑΧΟΝ. *O Domina Dei Mater Serves pium Monomachum.*

Michaële Calephato exauctorato anno MXLII. Zoe Auguſta, poſt trimeſtre cum ſorore Theodora Imperium, Conſtantinum cognomento *Monomachum* Mytilene, ubi exſulabat arceſſivit, eique una cum Thalamo Imperium tradidit, quod majoris liberalitatis, & munificentiae, quam prudentiae fama, per annos XII. tenuit. Pecunias, quas acerbiſſimis exactionibus colligebat, nullo conſilio delectuque effudiſſe Graecorum narrant hiſtoriae „ *dum inepte*, inquiunt, *ſtudet eſſe liberalis*, *ad extremum prodigalitatis prolapſus eſt*. „ Illud tamen non ſine laude factum, quod auri plurimum argentique in ſacra templa, & pauperum ſubſidium derivaverit: nam ut alia omittam, Conſtantinopoli Monaſterium *S. Georgii in Manganis* magnifice

ſice exſtruxit adjectis aedificiis, ad pauperes ſenes, & peregrinos excipiendos, & alendos: quumque magno in templo ob redituum inopiam ſolemnioribus tantum feſtivitatibus, & Sabatis, & Dominicis diebus ſacrificium perageretur, reliquis vero diebus non item; *Monomachus* templis patrimonium ſplendide auxit, ut quotidie ſacrificaretur; aureaque & gemmis aſpera vaſa addidit „ *quae magnitudine*, inquit Scylitzes, *pretio*, *&* *pulchritudine aliis antecellebant*. „ His ſane de cauſis *Pius* dici noſtro in numo potuit; quamvis a vera ſolidaque pietate longe abeſſet, qui turpi *Sclerenae* amore implicatus „ *pudore tandem*, *&* *diſſimulatione abjecta*, inquit Zonaras, *mulierem non ut concubinam*, *&* *ex ſemiſſe conjugem*, *ſed plane pro uxore tractabat*, quum Zoe, a qua Imperium acceperat, adhuc viveret.

At homini militarium rerum prorſus imperito, ut teſtatur Manaſſes, & quo imperante magnis afflicta eſt cladibus Graecorum reſpublica, miror *gladium* ab artifice datum. Factum non temere credo, praeſertim cum rariſſimi ſint Byzantini Auguſti, qui ſuis in numis gladium teneant. *Romanum Boilam* ſtolidum, & ſemimutum

tum ſcurram, qui e triviis, ut ait Zonaras, ad Senatoriam dignitatem a Monomacho elatus fuerat, atque in familiaritatem receptus, Imperium Monomacho interfecto, arripere cogitaſse, & cum gladio in palatio deprehenſum narrant Byzantini hiſtorici. Quid ſi gladium hunc Virgini Matri Imperator dicavit, atque illius arae ſuſpendit, ut ejus ſe beneficio tanto periculo defunctum teſtaretur, & opem, auxiliumque in poſterum expoſceret, idque numus, & epigraphe hiſtoricis tacentibus innuat? Sed haec divinatio potius quam conjectura non nemini fortaſse videbitur.

Deiparam in Byzantinorum Auguſtorum numis expreſsam ſaepius videas: a quo primum factum, non liquet; neque enim definire auſim caeteris praeiviſse *Theophanonem* Auguſtam Romano juniori a. 946. nuptam, cujus in numo Deipara viſitur: incerta in re, cuique ampliandi facultas eſto.

ΔΕϹΠΟΙΝΑ dicitur hoc noſtro in numo Dei Mater, quae in aliis *Θεοτοκος* frequentiſſime appellatur. *Δεσποινα* apud Ethnicos *κατ' ἐξοχὴν* Deorum Mater nuncupata: hinc de Rhea viri docti illa inter-

terpretantur in antiquis lapidibus, votivi ſi ſint, *κατα κελευσιν της δεσποινης*, vel latine: *ex Imperio Dominae*: Apud Arcades tamen δεσποιναν dictam invenio Cereris, & Neptuni filiam: memorat Pauſanias in Arcadicis c. 36. ejuſque deae templum, Ιερον της δεσποινης, quatuor ab Aceſio ſtadia diſtaſse ait. Aliis etiam profanarum gentium deabus, *Junoni* nimirum, *Iſidi*, *Cereri*, *Proſerpinae* tributum id nominis; eodemque ornatae Auguſtorum matres, & uxores, cum apud Ethnicos, tum etiam apud Chriſtianos; exempla Ducangius, Spanhemius aliique, dabunt, unum hic non praetermittam, quod in *Monomachi* vita narrat Zonaras, eum ſcilicet ubi *Sclerenam* concubinam in palatio tandem recepit, & juſtae uxoris loco habuit, illud etiam addidiſse, ut δεσποινης titulo inſigniret.

At nulli profecto mortalium vox haec tituluſque melius tributus unquam fuit, quam Virgini Matri, nulla verius, meliuſve δεσποινα dicta eſt, quam quae rerum omnium δεσποτlω genuit, peperitque.

AN-

ANTONII BENEDICTI
AD GASPARIS ODERICI ANIMADVERSIONES
ΠΑΡΕΡΓΟΝ

Antonius Benedictus Gaſpari Odericio S.

Quanti ego te ſemper, tuaſque litteras fecerim, probe noſti. Quamobrem non ſolum quantum apud me eſt antiquorum numorum, ſunt autem plurimi, qui nondum in lucem, publicumque conſpectum prodierunt, libenter tecum communico; verum etiam illis optime conſultum cenſeo, ſi quando eorum aliquos tibi explicandos ſuſcipias. Quod alias erudite feciſti, atque iterum nunc facis. Verum legenti mihi nuperas has tuas enarrationes nonnulla in mentem venerunt, quae non omnino inutilia, atque inepta videri poſſint. Itaque ea ad te ſcribenda duxi, quae ſi tibi probentur, jucundum mihi erit, multoque etiam jucundius, ſi ea tuis enarrationibus adjungenda, ac ſubnectenda putaveris. Vale.

In

In Numum Antandriorum n. 1.

QUum Troas, in qua Antandros, Phrygiae eſſet contermina, & quondam etiam pars habita, ut recte obſervas, communia ſacra & Conventus cum ceteris Phrygiae urbibus propter viciniam ſane habere potuit, quod ipſum ſaepenumero ab aliis hujuſmodi locis & urbibus conterminis uſurpatum fuiſſe legimus. Quid exemplis opus eſt in re certiſſima? Quamobrem quum hujuſmodi conventus in urbe Aſia haberentur, cujus ſedes in Campo Lydiae a Maeandro, & Cayſtro fluviis intercepto conſtituitur, ut ſatis opportune ad rem noſtram ex Stephano, & Cellario aſſerit Haymius T. II. pag. 105.; hinc factum arbitror, ut & locum ipſum ubi hujuſmodi conventus agerentur, & ſe illorum conventuum participes eſſe oſtenderent, ſub Fauni pedibus Maeandrum appoſuiſſe.

Quid vero Faunus, aut Satyrus, quod perinde eſt, in hoc noſtro numo, & in duobus haymianis? Nimirum ad Conventus revocas, in quibus Bacchi feſta celebrarentur: Probabilis ſane conjectura, non inficior. Verum illud opinor, non

inficiaberis, Marſyam quoque in his deſignari potuiſſe: Marſyam enim fluvium haud procul a Maeandro prolabentem, a quo deinde apud Celaenas, & Apameam urbem, quam circumfluit, excipitur, nomen habere poëtae fabulantur a Marſya inſigni illo Tibicine, quem Ovidius (Met. VI.) Satyrum fuiſſe auctor eſt, & qui tibiis a Minerva inventis auſus Apollinem provocare, illi de corio poenas dedit. In Haymianis Satyrum tibiis canentem videmus, in noſtro Satyrus idem cum tibiis Maeandro tamen inſiſtens exhibetur, quod quam eleganter, & graphice, ut ita dicam, ad ea, quae de fluviis Marſya, & Maeandro perhibentur, & ad ea loca, ut ſuperius dicebam, ubi conventus illi haberentur, demonſtranda conducat, quiſque, opinor, intelligit.


Quae vero de Rhea a te dicuntur, ingenioſe quidem dicuntur. Ego autem Genium Urbis capite turrito repraeſentari, quod & ipſe non improbas, planius & minus ingenioſe dixerim: Praeſertim quum vehementer dubitem, an conventus illi habiti fuerint ad Bacchi feſta celebranda, ut ipſe arbitraris, an ad muſicos agones, ut putat Haymius, an denique ad muſicos

qui-

quidem agones, ſed in Apollinis laudem inſtitutos, ut ego ſuſpicor.

Literas vero illas „ ATTA ... „ ATTAλος nomen Magiſtratus interpretaris: atque, optime quidem. Fuit tamen qui legendum putaret „ ATTAΛεων „ ita ut ſit nomen alterius urbis in Lydia, cui nomen Attalia, quae una cum Antandro numum hunc percuſſerit. Verum omnino eſt Magiſtratus nomen, quemadmodum in duobus haymianis Aſiae, & Apameae „ (loc.cit.) ΑΓΑΝΙΚΟΣ, vel ΔΙΟΝΙΚΟΣ „ aatque in altero „ ΚΗΦΙΣΤ „ hoc eſt ΚΗΦΙΣΤΟΣ.

Antandriorum vero alium profero numum ſane egregium ſub Imperatoribus cuſum, quem ego poſſideo, & nondum, quod ſciam, ab aliis vulgatum.



XXIII·

Αυτ. Μαρκος. ΑΥΡΗ ΚΟΜΟΔΟC. *Imperator M. Aurelius Commodus*. Caput Commodi Imperatoris barbatum, & laureatum.

)(ΕΠΙ .... ΕΥΤΥΧ .... *Sub Eutichio*. In imo ΑΝΤΑΝΔΡΙΩΝ *Antandriorum*. Apollo ſtans clamyde ad humeros rejecta, d. demiſſa ramum tenet, s. lyram: ad pedes dextrorſum figura Fluvii ſeminuda jacens dextro cubito terrae innixa; laeva, ut videtur, pinum ſuſtinet.

CIlleum Apollinem, & Cilleum amnem in hoc numo repraeſentari nullus dubito: utrumque a Strabone traditum plane oſtendam. Itaque Strabonis locum a te ſuperius allatum iterum nunc, ſed magis integrum recito.,, *Intus eſt An-tan-*

tandros cum monte ſuperne imminente, cui Alexandrea nomen, ubi controverſiam Dearum a Paride ajunt eſſe diſceptatam: Και ο Ασπανευς το υλοτομιον της Ιδαιας υλης: ενταυθα γαρ διατιθενται καταγοντες τοις δεομενοις: *Tum Aſpaneus caedua ſylvae Idaeae pars: materiam enim eo devehentes, requirentibus divendunt*. „ Ita quidem interpretatur Xylander, quem ſecutus eſt Caſaubonus: an recte, viderint alii. Ea certe verba in latinum ſermonem magis proprie videntur ita verti poſſe. „ *Tum Aſpaneus caedua ſylvae Idaeae pars: materiam enim ibi* διατιθενται *diſponunt, praeparant*, καταγοντες τοις δεομενοις, *devehentes, deorſum ducentes requirentibus*. „ In quibus verbis jam mihi neſcio quem fluvium videor videre. Et ſane viderunt eruditiſſimi Viri Heresbachius, aliique. (lib. XIII. pag. 407. edit. Baſil 1571.) Heresbachius quidem hunc Strabonis locum ſic interpretatur. „ *Et Aſpaneus, ubi Idae materies caeditur: hic enim eam aptant, poſtea* per fluvium *deducunt &c.*„ Audacius fortaſſe dictum, ſed ſane a Strabonis mente non alienum, ut inferius oſtendam. Jam vero Idae montem (quod omittendum nòn eſt) materiae

ad naves fabricandas feraciſſimum teſtatur Paris apud Ovidium (Epiſtol. ad. Hel.)

„ *Innumeraſque mihi longa dat Ida trabes* „

Locum vero in Idae vallibus apud Antandrum ad illas conſtruendas quam maxime opportunum teſtatur Aeneas apud Virgilium (Aen. l. 11I.)

. . . . „ *Claſſemque ſub ipſa Antandro* , *& phrygiae molimur montibus Idae* „

Denique hujuſmodi materiam ex Ida apud Antandrum per fluvium eſſe devectam teſtatur hic noſter numus , in quo figura fluvii pinum manu tenet . Sed ad Strabonem revertor . Strabo igitur agens inferius de Campo Thebano pag. 612. „ *Nunc Adramytteni* , ait , *majorem partem obtinent* : *ibi enim Theba eſt* , *& Lyrneſſus munitum natura Caſtellum* , *ambae ſunt deſertae* ; *diſtant ab Adramyttio haec* LX. , *illa* XXC. *ſtadiis in diverſam partem* : εν δε Αδραμιττηνῃ εστι και η Χρυσα και η Κιλλα πλησιον ουν της Θηβης εστι , νυν Κιλλα τις τοπος λεγεται, εν Κιλλεου Απολλωνος εστιν ιερον . παραρρει δ᾽ αυτῳ εξ Ιδης φε-

φερομενος ο Κιλλεος ποταμος. Ταυτα δ' εστι κατα την Αντανδριαν: *In Adramyttena eſt & Chryſa & Cilla nunc Thebae vicina. Locus eſt Cilla, in quo Apollinis Cillei eſt Fanum, ac praeterfluit ex Ida delapſus Cilleus fluvius: ſunt haec juxta Antandriam.* „ Nonnulla etiam hic, ut hoc obiter dicam, turbaſſe videtur Xylander; non enim diſtinguenda verba illa „ πλησιον ουν της Θηβης εστι νυν Κιλλα τις τοπος &c. „ ſed cum Heresbachio (pag 410.) ſimul conjungenda cenſeo. „ *In Adramittena* (ſcilicet *regione*, hoc eſt *in ſinu Adramitteno*) *eſt & Chryſa, & Cilla: prope itaque Thebam adhuc eſt locus appellatus Cilla, in quo Cillei Apollinis templum eſt: locum Cilleus amnis praeterlabitur ex Ida profluens: haec ſunt juxta Antandriam* (hoc eſt *in Antandri agro*). „ Hactenus Strabo: ex quo, ni fallor, plane diſcimus in hoc Antandriorum numo Cilleum Apollinem, & Cilleum amnem repraeſentari, quod ſuperius propoſueram.

*In Numum Julienſium Laodicenſium n.*11I.

EST etiam apud me numus aereus minoris formae Julienſium Laodicenſium ſub Domitiano cuſus cum eadem epocha ΔMP. hoc eſt 144. , qui fuit annus V. C. 850. ut recte obſervas.

Im-



XXIV.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΔΟΜΙΤΙ*ανος* . *Imperator Domitianus* . Sub collo in imo (quod ſane non obvium) Epocha ΔΜΡ....... 144.

)(ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟ*δικεων* . *Julienſium Laodicenſium* . Victoria ſtans dextrorſum converſa d. coronam, s. Cornucopiae tenet, ad pedes navis gubernaculum.

QUum Domitianus anno V.C. DCCCXLIX. XIV. Kal. Octobres a conjuratis occiſus ſit, inde conficitur, numum hunc ipſis ultimis diebus imperii, & vitae Domitiani cuſum fuiſſe. Quum enim aera Julienſium Laodicenſium incoeperit ab autumno anni DCCVI. & jam in hoc numo adſcribantur anni 144., manifeſtum eſt, cuſum hunc fuiſſe initio autum-

tumni , quo autumno Domitianus e medio ſublatus eſt .

In Numum Jovis Lydii n. IV.

PAuſanias in Corinthiacis l. 2. cap. 4. inquit ,, Υπερ δε το Θεατρον εστιν ιερον Διος Καπετολιου φωνη Ρωμαιων , κατα Ελλαδα δε γλωσσαν Κορυφαιος ονομαζοιτο ,, *Supra theatrum eſt Templum Jovis Capitolini voce Romanorum , ſecundum vero Graecam linguam Coriphaeus utique diceretur* ,, . In quibus verbis , quid improbandum ſit , profecto non video . Non enim ait Pauſanias *dicitur* Coriphaeus, ſed tantum *ονομαζοιτο diceretur* , quod rectiſſime dictum puto : aut enim omnia me fallunt , aut haec eſt verborum illorum ſententia : Jovem Capitolinum vocant Romani , cui ſi Graeci nomen imponere deberent , non utique eum Capitolinum , ſed Coryphaeum Graeca voce appellarent : quod omnino certiſſimum eſt . Equidem non ignoro , vocem Κορυφαιος a Graecis aliquando tribui cuique etiam excelſiori montium vertici : nihilo tamen minus ajo , magis proprie quodammodo dici poſſe de Monte Capitolino , & Pauſaniam

niam rectiſſime locutum eſſe. Mons enim ille, unde Jupiter Capitolinus dictus eſt, antea Saturnius, & Tarpejus vocabatur; deinde vero a Capite inibi invento, quum fundamenta Templi Jovis locarentur, Capitolinus appellatus eſt, auctore Livio, & Dionyſio: quin etiam tum propter hujus Templi nobilitatem, majeſtatem, & magnificentiam, tum propter cetera omnium generum ornamenta in eum locum illata, mons ipſe in illud dignitatis ac ſplendoris faſtigium excreverat, ut inter ceteros Romanos montes facile caput, & princeps haberetur. Haec omnia in comperto ſunt. Jam vero Κορυφη, unde Κορυφαιος, proprie Graecis eſt vertex, ſeu pars illa capitis, quae inter ſinciput, & occiput interjacet. Praeterea μεταφορικως a Graecis Κορυφαιος dicitur cujuſque ordinis caput, & princeps. Recte igitur ſpectata vocis vi, & proprietate, omnia quae ſuperius de Monte Capitolino dicta ſunt, Pauſanias quaſi in unum complectens Coryphaeum Jovem a Graecis appellari poſſe dixit, quem Romani Capitolinum vocabant.

Addam hic etiam illud, quur ego potiſſimum putem in numo Philadelphiorum

Ζευς Κορυφαιος Jovem appellari. Plures enim apud veteres fuerunt Joves: tres Cicero (De natura Deorum l. 3.) Joves recenſet. Philadelphii igitur, ut equidem arbitror, Ζευς Κορυφαιος Jovem in ſuis numis appellarunt, quia ſuum illum Jovem non ſolum inter omnes Deos, ſed inter omnes ipſoſmet Joves maximum & principem haberi & eſſe voluerunt. Quemadmodum & ipſi Romani, quum in Urbe Roma Jovem Cuſtodem, Feretrium, Statorem, Tonantem, Victorem &c. haberent, unum tamen Capitolinum Jovem Optimum Maximum vocabant, atque ut cum Pauſania loquar, omnium Coriphaeum.

in Numum inſcriptum APTE MEN *n.* V.

NAe ego imprudens ſim, ſi ex corrupto Strabonis loco quidquam certi afferri poſſe arbitrarer, & Mennes Myſiae populos apud Strabonem inveniri contenderem. Inveniſſe quidem ſe putarunt, & nobis pro certo obtulerunt nonnulli docti Viri, qui ſummo ſtudio, ac diligentia, ut ipſi profitentur, Strabonis Opera Baſileae edenda curarunt annis MDXXIII.

M.D.

MDXXXIX. MDXLIX. Heresbachius, Gemuſeus, Glareanus, Hopperus, & alii, qui in tribus ſupradictis editionibus vocem *Mennes* non ſolum in textu, ut ajunt, ſed etiam in ampliſſimo indice ſemper retinuerunt. Exſcribam locum integrum ex tertia editione, in qua non ſolum eadem, quae in duabus aliis, verſio latina habetur, ſed affertur etiam textus Graecus Strabonis „ Ομοιως δε και Βρεγοι, και Βρεγες, και Φρυγες οι αυτοι: και Μυσοι, και Μερονες, και Μαιονες, και Μηννες „. *Eodem modo Bregi, & Breges, & Phryges iidem ſunt: & Myſii, & Merones, & Maeones, &* Mennes. „ (Strabo lib. XII. pag. 527.) Profecto ſi haec Strabonis lectio defendi poſſet, ac ſuſtineri, jam populos in Myſia haberemus, quibus fortaſſe commodius hic noſter numus etiam tribui poſſet. Sed ſane, de ſinceritate hujus lectionis vehementer dubito: nam facile Librarii negligentia in MS. Codice littera *o* migrare potuit in *r* praeſertim ſi non Μηννες, ut illi ediderunt, ſed Librarii manu ſcriptum ſit Μηννες, quum ſcribi deberet Μηονες. Atque ita profecto legunt Xylander, Caſaubonus, & alii tum in editione Lutetiae Pariſiorum M D C X X. pag.

pag. 550. tum Baſilienſi MDCLXI. p. 645. „ Ομοιως δε και Βρεγοι , και Βρεγες , και Φρυγες οι αυτοι , και Μυσοι , και Μερονες και Μαιονες και Μνονες : *Ita Bregi , Breges Briges & Pryges iidem ſunt , nec non Maeones , & Meones* „ . Ubi inſignem Typographorum oſcitantiam obſerva : in utraque enim editione vox illa *Briges* redundat , & verba illa *Myſii* & *Merones* in utraque deſiderantur. Ceterum hanc Xylandri, & Caſauboni lectionem in voce Μνονες retinendam puto , donec meliores Codices nos doceant legendum Μνννες cum Heresbachio. Ea , quae hactenus a me dicta ſunt , ſi minus populos , quibus noſter hic numus opportunius fortaſse tribui poſſet , e Strabone ſuppeditarunt , certe doctos Viros tamen extitiſse , qui populos *Mennes* apud Strabonem ſe inveniſse putaverint , & litem niſi ope meliorum MSS. Codicum dirimi non poſse , oſtendunt.

In Numum Moſtenorum n. IX.

ARbor illa , quae in averſa eſt numi parte , videtur eſse Cupreſsus. Verum in celebri illa Baſi mamorea Coloſſi Tiberio Caeſari erecta ob civitates Aſiae re-

reſtitutas, & Puteolis reperta an. 1692. in qua non ſolum nomina, ſed etiam imagines illarum Urbium inſculptae conſpiciuntur, Moſtene tanquam Mulier exhibetur, quae in ſinu ſtolae complicatae dextra manu tenet fructus, poma, & flores, ſiniſtra gerit Nucem pineam cum ſcapo, teſte Laurentio Theodoro Gronovio, (Gronov. Antiqu. Gr. Tom. vII. p. 500.) qui illam vidit, ac de illa luculentiſſime ſcripſit. Athenaeus vero (lib. II. Dipnoſoph.) „ *Carya*, inquit, *id eſt Nux arbor legitur apud Sophoclem .... & Carya nucum genus quoddam Moſtenum vocant* „ Ad quem locum Delecampius „ *quibus*, ait, *putamen valde lignoſum & durum* „. At vero Caſaubonus, quod genus arboris illud ſit, fatetur ſe ignorare: „ Μοστηνα Καρυα *quaenam ſint expecto*, inquit, *ut me aliquis doceat* „ Quid igitur ſi in Baſi illa marmorea non ſit Nux pinea cum ſcapo, quam vid..re ſe putavit laudatus Laurentius Theodorus Gronovius, quum praeſertim pluribus in locis, ipſo teſte, Baſis illa obtrita eſset: ac ne in noſtro quidem numo ſit Cupreſsus, ſed aliud quoddam genus coniferae arboris, quod Nucum genus Moſtenum vocant auctore Athenaeo? Quod pro-


profecto quale fuerit, cum Caſaubono fateor me quoque neſcire. Sed haec in medio relinquo.

Quoniam vero Moſteni proximi erant Hyrcanis populis, liceat mihi hoc loco elegantem Hyrcanorum numum, numquam antea ab aliis vulgatum, proferre, quem ſuperioribus diebus, quum haec ſcriberem, adeptus ſum.

Ca-

Digitized by Google

XXV



XXV.

Caput Mercurii nudum, pone quod Caduceus. ΥΡΚΑΝΩΝ. *Hyrcanorum*. Baculus, cui Serpens involutus eſt.

INter Hemum, & Caicum Lydiae fluvios erat Campus Hyrcanus: in eo campo ejuſdem nominis Urbs Hyrcania, ſeu potius Hyrcanis, ut deinde dicam. Quur vero campus hic dictus ſit Hyrcanus, quemadmodum eum vocat etiam Stephanus „ *Eſt quoque Hyrcanus campus Lydiae, ut Eratoſthenes refert*„ docet Strabo (lib.XIII.)„ *Deinde Hyrcanius campus eſt, quem ſic Perſae nominaverunt a colonis ex Hyrcania eo adductis*. „ Populi vero a Tacito (Annal. lib.11. num. 47.) & a Plinio (lib.5. cap. 31.) appellantur Macedones Hyrcani, quia in hoc tractu Hyrcani Coloni Macedonicis erant permixti, ut recte obſervat Cellarius (Tom. II. lib. 3. c. 4.). Non autem Moſteni, & Hyrcani unus erat & idem

I po-

populus, quemadmodum ſuſpicatus eſt Joſeph Scaliger in notis ad Euſebium ,, *Ego puto*, inquit, (in Euſebii narratione) *Hyrcaniam a Moſthenis male diſtingui. Moſteni cognomine Hyrcani erant non ſolum in illo tractu, ſed inter illas urbes, quae terrae motu corruerunt. Tacitus*: Quique Moſteni, aut Macedones Hyrcani vocantur .... *Omnino* Μοσθηνοι Υρκανοι (in Euſebii narratione) *ſunt conjungenda* ,, Qui locus Taciti alios non paucos etiam decepit Datum, Caninum, Politum, Gordonium &c. Errorem vero Scaligeri notavit jam Laurentius Theodorus Gronovius, & invictis argumentis confutavit (loc. cit.). Quod autem ad Tacitum ſpectat, obſervavit jam Freinshemius in notis ad Tacitum, diſtinguendos omnino Moſtenos ab Hyrcanis, quippe qui ſi confundantur, non amplius XII. Aſiae Urbes nocte una terrae motu collapſae, ſed una minus numerabuntur. Hinc Brottierius (Annal. Tacit. loc. cit.) ,, *Manifeſtum eſt*, inquit, *ex Corneliana* XII. *Urbium enumeratione Moſtenos & Macedones Hyrcanos eſſe omnino diverſos : igitur emendandum* : Atque Macedones Hyrcani : *Quam ſaepe in MSS.* aut & atque *permutentur docet Cortius*

tius ad Salluſtium in Jugurth. LXXXII. „ Haec ille: optime quidem ad mentem, & ſententiam Taciti: quod Freinshemius & alii ante jam viderant ſic eſſe emendandum. Sed repugnantibus non ſolum omnibus libris editis, ſed etiam Cornelianis MSS. quorum ne ipſe quidem Brottierus ullum a ceteris hoc loco diverſum proferre potuit, nemo emendare auſus erat. Ut ut ſit, duo procul dubio erant Populi proximi illi quidem, ſed omnino diſtincti Moſteni, & Macedones Hyrcani, duaſque urbes diſtinctas tenebant, illi Moſtenem, iſti Hyrcaniam, ſeu potius Hyrcanidem. De Hyrcania, ſeu Hyrcanide quidem Urbe ſilent vetuſtiores Geographi, & Hiſtorici: poſterioris vero aetatis, inter quos Hieronymus, & Nicephorus, illam Hyrcaniam nominarunt. In celebri illa Baſi, quam ſuperius commemoravimus, nomen hujus Urbis infelici quodam fato mancum, & mutilum erat „ *Hyrca....* „. Non vero, ut ait Brotticrius, in monumento Tiberiano dicitur „ *Hyrcania* „: hoc enim modo ſupplendum cenſuit Laur. Theod. Gronovius, ut ipſe teſtatur (loc. cit.). Verum in numis, quorum alter a Sponio (Itin. pag. 446.) alter ab Haymio (Theſ.
 Brit.

Brit. tom. 2.) & Harduino (Num antiqu. ill.) prolatus eſt, in primo ΥΡΚΑΝΙΙ, in in ſecundo plane ΥΡΚΑΝΙC vocatur. Atque ego putaverim ΥΡΚΑΝΙC quoque in Sponii numo legendum eſſe, in quo quum forte, ut videtur, aliquantulum fugientes, ac detritae eſſent ultimae illae litterae, docti Viri exiſtimarunt eſſe litteram *H*, quae duae revera erant litterae, ſcilicet *IC*. Sed quocumque tandem nomine appellanda ſit haec Urbs ſive Hyrcania, ſive Hyrcane, ſive potius Hyrcanis, parvi refert: modo illud teneamus, hanc Urbem fuiſſe a Moſtene diſtinctam, quam Macedones Hyrcani a Moſtenis diſtincti, & diviſi colebant, & C. Caelio Rufo, & Pomponio Flacco Coſs. inter illas XII. Aſiae Urbes a Tacito enumeratas, una nocte motu terrae collapſam a Tiberio Caeſare cum ceteris eſſe reſtitutam. Praeter illas XII. vero urbes, quas Tacitus recenſet, eamdem cladem ſenſerunt deinde proximis annis Epheſus Tiberio III. & Germanico II. Coſs., & Cybira C. Aſinio & C. Antiſtio Coſs., quas omnes ſumma benevolentia, & liberalitate Tiberius reſtituit. Quapropter in monumento illo Tiberiano XIV. Urbium imagines a Tiberio re-

reſtitutarum conſpiciuntur, & merito ejus numi inſcripti ſunt „ *Civitatibus. Aſiae. Reſtitutis* „

Quod autem ad hunc noſtrum Hyrcanorum numum attinet, in antica numi parte Mercurius exhibetur, qui apud Thraces maximo in honore fuit. Herodotus in Terpſichore (lib. 5. 7.) „ *Mercurium e Diis praecipue colunt per quem ſolum jurant, a quo progenitos quoque ſe ajunt* „. Quum vero Macedones jam inde a Philippo Alexandri patre Magnam Thraciae partem occupaverint, brevique totam in ſuam ditionem redactam incoluerint, Mercurii cultum praecipui illarum gentium Numinis facile, ut arbitror, adoptarunt, ſecumque deinde in Lydiam, ubi conſederunt, permixti Hyrcanis, tranſtulerunt. Baculus vero in poſtica parte, cui Serpens involutus eſt, tribuitur Aeſculapio, cujus rei cauſſam affert Hyginus (Poëtic. Aſtronom. lib. 2.). Hyrcanos vero Aeſculapii, Hygiae, ac Theleſphori cultores maxime fuiſſe, eorum numi teſtantur apud Haymium (loc. cit.).

In Numum Thuriorum n. XIII.

OPulentum Magnae Graeciae Oppidum, quod antea Sybaris, deinde Thurium, denique a Romanis appellatum eſt Copia, ſuos quovis tempore numos percuſſiſſe, multis perſuaſum jam eſt. Verum Harduinus, Panellius, Pellerinius, aliique numum illum in aere primae magnitudinis ſub Imperatoribus cuſum, & inſcriptum *Copia*, quem fere omnes cum Triſtano ſuperioribus temporibus huic Urbi tribuerant, invictis propemodum argumentis Lugduno reſtituerunt. Nam Vaillantius, qui eum Valentiae citerioris Hiſpaniae Urbi adjudicaverat, parum ſuae ipſemet ſententiae fidere faſſus eſt. Eum ipſum numum ego quoque poſſideo: ſunt etiam apud me duo Sybaritarum, item & duo Thuriorum jam ab aliis vulgati. Ac Sybaritarum quidem numos perperam Froelichius (Notit. Elem. cap. 2.) Umbris Italiae populis tribuerat; ſed alii rectius eos Sybaritis addixerunt. Literae enim Y M in utroque ſignatae ordine retrogrado legendae ſunt.

Sed jam ad numum venio, de quo agitur,

tur, & ex quo Dianae apud hos Populos optime a te cultus infertur. Dianae vero Venatricis etiam habitu incedenti faces dari non omnino inſolens profecto eſt. Exempla quaerenti plura occurrent tum in numis, tum in ſignis antiquis. Pauca ego proferam, quae nunc quidem in mentem veniunt. In numo Siphniorum apud Goltzium (de cujus in recenſendis numis ſuſpecta fide jam in utramque partem diſputatur) Diana Venatrix d. facem gerit, s. arcum, ad pedes adeſt Canis. In opuſculo ſecundo eruditi ac Principis Viri Lancellotti, cui titulo „ *Aggiunta alla Sicilia Numiſm.* „ eſt numus (Tab. 2. n. 2.) Mamertinorum Meſſeniorum, in cujus adverſa parte eſt caput Herculis leonis exuviis tectum, in averſa exhibetur Diana Venatrix, cui ad humeros pharetra, ad pedes eſt Canis, & utraque manu tenet facem accenſam: epigraphe ΜΑΜΕΡΤΙΝΩΝ ordine retrogrado ſcripta eſt. Cicero in Verrem (lib. 4.): *Fuit apud Segeſtanos ex aere ſimulacrum Dianae ..... Sagittae pendebant ab humero, ſiniſtra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem praeferebat*. Apud Pauſaniam vero non uno in loco Signa Dianae Venatricis facem


geſtantis invenies : *Ad dexteram* , inquit ille (in Phocicis lib. 10. cap. 37.) *duobus circiter ab Urbe* (Anticyra) *ſtadiis ſaxum eminet excelſum montis pars : erectum ibi Dianae Templum : Deae Signum unum de Praxitelis operibus , dextera facem gerit , ab humeris pendet pharetra , canis ad laevam adſiſtit* . Idemque Pauſanias (in Arcadicis lib.8. cap.37.) ubi Templum Dominae , (ſive ea Hera ſit , cujus proprium nomen religione quadam obſtrictus neque Homerus , neque ipſe auſus eſt apud profanos proferre) non procul ab Acaceſio pluribus deſcribit , Dianae Venatricis Signum , ſed ornatu prorſus ſingulari recenſet : *Adſiſtit ſolio* , inquit , *Diana cervina pelle velata , pendente ex humeris pharetra , altera manu lampadem , Dracones duos altera geſtat , adjacet Canis de venationum genere* . Cur facem Dea geſtet , nunc non quaero ; cur vero geſtet duos Dracones , id fortaſſe novum & mirum cuiquam videri poteſt . Cauſſam vero ex Pauſania ipſo , ni fallor , videor mihi didiciſſe . Paullo enim infra idem Pauſanias addit : *Cereris filiam non Latonae Dianam fuiſſe , ab Aegyptiis acceptum ſermonem Graecos docuit Aeſchylus Euphorionis*

nis filius. Quum igitur Dracones duo Cereri paſſim tribuantur, atque ejus currum trahere ſaepiſſime in numis & antiquis anaglyphis videamus, hinc Arcades, opinor, ut nempe Cereris filiam Dianam oſtenderent, Signum Deae effinxerunt, quae Dracones duos geſtat, ſeu potius *regit*, ut equidem illud Graecum Pauſaniae ἐχει latine libentius redderem. Neque enim Cererem ipſam, cui potiſſimum Dracones tribuuntur, eos manu geſtare, ſed paſſim eos manu regere videmus: idem igitur hoc loco de Diana dicendum arbitror. Cur denique Dianae etiam Venatrici faces datae? Quia nempe φωσφορος eſt, & δαδουχος, *lucifera*, *noctiluca &c.* ut probe noſti & obſervas: adde etiam, ſi vis, quia Cereris Filia, & Proſerpinae Comes apud quoſdam teſte Pauſania (loc. cit.). Hoc enim ex veteri mythologia didicimus, cui uni in explicandis antiquis monumentis, quae ad Deos, eorumque, ut ajunt, attributa pertinent, inhaerendum puto. Hoc ſane graviſſimis Scriptorum teſtimoniis & omnium conſenſu comprobatur; an vero idem de quibuſdam nocturnis Oppiani venationibus dici poſſit, ampliandum cenſeo.

Sta-

Statueram his meis litteris hic finem imponere: verum nonnulli eruditi Viri mihi auctores fuerunt, ut praeterea alios duos nummos adderem, alterum Canuſinorum plane ſingularem, alterum Adaneorum ipſum quoque inter raros computandum, quod libenter facio.

Ca-



XXVI.

Caput juvenile, & imberbe, fortaſſe diadematum.

ΚΑΝΥΣΙΝ .... *Canuſinorum*. Figura virilis in equo, d. haſtam.

CAnuſium Apulorum Dauniorum oppidum ad Aufidum amnem Straboni, Plinio, Ptolemaeo, Stephano, & Pomponio: Graecis plerisque Κανυσιον; Appiano & Procopio Κανουσιον, Stephano Καινυσιον dicitur, nunc vulgo *Canoſa* in Apulia, Romanorum Colonia, ut ex lapide, quem ſe ibi excripſiſſe teſtatur Pratillus (De Via Appia l. 11. cap. 2. pag. 137.) comprobatur.

L. AE-

Digitized by Google

L· AELIO AVG· LIB·
AVRELIO · APOLAVSTO
PANTOMIMO
AVGVSTALIVM · Q.Q.
HIERONICAE · TEMPORIS
SVI · PRIMO
COLONIA · AVRELIA
AVG· PIA· CANVSIVM
D· D·

Hinc etiam diſcimus, ut inquit Cl. Muratorius (DCLIX. 3.), Canuſium a M. Aurelio Auguſto Philoſopho Coloniam fuiſſe deductam. Hujus Urbis conditor fertur fuiſſe Diomedes Aetoliae Rex, Tydei & Deipilae filius, qui pertaeſus vitia & mores Aegialis uxòris, poſt Trojae excidium patriam exoſus, domum reverti noluit; ſed in Apuliam profectus, Regni partem a Daunio accepit, pluresque Urbes condidit, quas inter Arpos, ſeu Argyrippam, quae Urbs primo dicta eſt Argoshyppium, Salapiam veterem, & Canuſium. De Arpis ſeu Argyrippa non ſolum Strabo (lib.VI.) ſed etiam Virgilius teſtis eſt (Aen. lib XI.):

„ *Ille* (Diomedes) *Urbem Argyripam patriae cognomine gentis*
„ *Victor Gargani condebat Japygis oris* „

Salapiae vero veteris probabilius quoque eſt

eſt conditorem fuiſſe Diomedem. Vitruvius (l. 1. cap. 4.) ,, *In Apulia Oppidum Salapiae vetus, quod Diomedes a Troja rediens conſtituit, ſeu, quemadmodum nonnulli ſcripſerunt, Elphias Rhodius.* ,, Canuſium denique oppidum a Diomede conditum praeter Strabonem (loc. cit.) teſtatur quoque Horatius (lib. 1. Serm. Saty. 5.)

,, *Nam Canuſi lapidoſus* (panis) *aquae non ditior urna,*
,, *Qui locus a forti Diomede eſt conditus olim* ,,

Niſi id forte de *Equo Tutico* dicitur, ut quidam putaverunt. Arpanorum, & Salapinorum numi vulgati jam ſunt, quos ego quoque poſſideo: ſunt autem hujuſmodi:

Caput Jovis barbatum, & laureatum.
)(ΑΡΠΑΝΩΝ. Aper currens. Numus tertiae magnitudinis.

ΠΥΛΑ .... Bos cernuus.
)(ΑΡΠΑΝΟΥ. Equus currens. Numus tertiae magnitudinis.

ΣΑΛΑΠΙΝΩΝ. Caput Jovis barbatum & laureatum.
)(ΠΥΛΛΟΥ. Aper currens. In area tridens. Numus tertiae magnitudinis.


Alius ſimilis; ſed in area navis acroſtolium.

Atque hic obiter obſerva errorem Geſneri, qui numum Salapinorum tab. LVII. neſcio cui Pyllo Urbi tribuit, quae Urbs nuſpiam eſt,

eſt, aut fuit. Novi plures Urbes Pyli nomine, ſed omnes unico dumtaxat Α ſcribuntur. Verum hic in Arpanorum, & Salapinorum numis nomen eſt Magiſtratus. Hunc Canuſinorum numum edidit ante nos Cl. Magnanius, aliumque Romae nuperrime vidi apud Giraldum eruditum ſane Virum, & antiquitatis conſultiſſimum.

Caput juvenile, quod Diadematum videtur, ipſius eſt fortaſſe Diomedis. Figura vero virilis in equo Diomedem omnino exhibet Canuſii Conditorem & Regem. Hoc enim habitu in numis non raro Urbium Conditores, aut Reges, aut Heroës proponuntur, quod nemini non notum, & pluribus exemplis comprobatur.

Gor-




XXVII.

.... ΔΙΑΝCC .... *Gordianus*.
)(...... ΑΝΩΝ ΑΔΑΝΕΩΝ, *Hadrianorum Adaneorum* Imperator ſtans capite laureato d. pateram, s. veſtem ſublevat.

ADana Urbs Ciliciae Ptolemaeo, Plinio, Stephano, ad Saruſn fluvium Procopio: plura videri poſſunt apud Cellarium (Tom. II. lib. III. cap. 6.). Nomen Hadrianorum praeferunt Adanei tum apud Theupolum in altero item Gordiani numo, tum apud Vaillantium in numis Diadumeniani, Treboniani, & Valeriani propter aliquod beneficium, quod ab Hadriano acceperint, quo tempore ille Ciliciam peragrabat, quemadmodum teſtantur ejus numi inſcripti „ *Adventus. Aug. Ciliciae* „ Quapropter in noſtro etiam hoc numo ſupplendum, & legendum cenſui„ αδριΑΝΩΝ.„ Sed

Sed ne quid diſſimulem, multo plures videntur fuiſſe litterae, quae detritae ſunt in ſpatio, quod ſupereſt ante illas ANΩN. Invenio quidem apud Theupolum numum Maximini inſcriptum „ MAΞIMEINIANΩN ΑΔΑΝΕΩΝ „ Sed nullo modo adduci poſſum, ut credam Adaneos in Gordiani numo Imperatoris inimiciſſimi nomen praeferre voluiſſe: praeſertim etiam quum videam non ſolum in Diadumeniani numo ante Gordianum, ſed etiam in poſterioribus numis Treboniani, & Valeriani, iterum Hadrianorum nomen uſurpaſſe. Vir eruditus teſtatur ſe vidiſſe numum Juliae Domnae ſic inſcriptum „ ΑΔΑΝΕΩΝ. ΑΔΡ. CEY. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥΠΟ „ Hinc fortaſſe in noſtro numo ſuppleri poſſet vel Severianorum, vel Antoninorum: quod tamen minime audeo. Sed jam nimis multa, manum, ut ajunt, de tabula.

FINIS.



Digitized by Google


A 9.5.1781

Digitized by Google

MC

Sed ne quid diſſimulem, multo plures videntur fuiſſe litterae, quae detritae ſunt in ſpatio, quod ſupereſt ante illas ΑΝΩΝ. Invenio quidem apud Theupolum numum Maximini inſcriptum ,, ΜΑΞΙΜΕΙΝΙΑΝΩΝ ΑΔΑΝΕΩΝ ,, Sed nullo modo adduci poſſum, ut credam Adaneos in Gordiani numo Imperatoris inimiciſſimi nomen praeferre voluiſſe: praeſertim etiam quum videam non ſolum in Diadumeniani numo ante Gordianum, ſed etiam in poſterioribus numis Treboniani, & Valeriani, iterum Hadrianorum nomen uſurpaſſe. Vir eruditus teſtatur ſe vidiſſe numum Juliae Domnae ſic inſcriptum ,, ΑΔΑΝΕΩΝ . ΑΔΡ. CΕΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥΠΟ ,, Hinc fortaſſe in noſtro numo ſuppleri poſſet vel Severianorum, vel Antoninorum: quod tamen minime audeo. Sed jam nimis multa, manum, ut ajunt, de tabula.

F I N I S.



Digitized by Google

A 9.5.1.9.1

Digitized by Google

MC

005655733

Digitized by Google